



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

NICOLAI VIGELII I.C.

Marpurgensis celeberrimi

RESPONSORVM
IVRIS CENTVRIÆ QVA-
TVOR, QVARVM PRIMA AN-
TEA EDITA, TRES POSTE-
riores nunquam hæctenus
editæ fuerunt.

IN QVIBVS DIFFICILIMÆ MATERIÆ
*& apud iuris vtriusq̄, interpretes, nunquam antehac
satis explicatæ, dilucidè explicantur, ac In-
dice rerum copioso donantur.*

M. D.



XCIX.

Cum privilegio Cæs. Maiest. decennali.

FRANCOFVRTI,

*Ex Officina Typographica Matthæi Beckeri, im-
pensis Ioh. Theobaldi Schonyvetteri:*

DR. HEDDIE ALLEN

1900

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000

1000



PRÆFATIO AV- THORIS AD LE- CTOREM.

MEMORABILE exemplum
vanitatis, odij & calumnie o-
ratorum aduersus Iureconsul-
tos, quod Principibus & Nobi-
libus persuadere conantur, me,
cuius tot monumenta laborum in recuperanda
veteri Iurisprudencia exstant, non esse Iurecon-
sultum. Quos ut mendacij redarguam, Re-
sponſa iuris conſcribere cœpi, in quibus cauſſas
legibus, non leges cauſſis, ut illi ſolent accommo-
do. In primis enim reſpicio ad ius, in quo vel a-
ctior agendo, vel reus excipiendo intentionem
ſuam fundat. Quod aut certum eſt, aut contro-
uerſum: Si certum, nihil eſt difficultatis in re-
ſpondendo, niſi aliqua exceptione, qua & iure
& facto ſubſiſtat elidatur. Sin controuerſum, ea
ſequor qua antea in Ratione iuris controuerſi
cum iudicio legendi obſeruanda monui. Nec

4 PRÆF. AD LECTOR.

Eloquentiam affecto, sed Iurisprudentiam veterum Iurisconsultorum; quam si non assequor, saltem sequor, nisi quod non contentus statum causse proponere, quemadmodum ab illis factum est; sed argumenta utriusq; partis refero, per quæ ad statum causse peruehitur. Ego autem in hisce meis Responsis non solam causas mihi oblatas, sed etiam ab aliis antea tractatas discutiendas sumpsî, illorum responsis ad verbum adiectis, ut intelligatur quantum nostri Iurisconsulti à simplici & graui veterum Iurisconsultorum respondendi ratione recesserint, magis oratoriam vanitatem quam grauitatem iuridicam in respondendo affectantes; qui sepe magno conatu egregie de iure nugantur, non causas legibus, sed leges causis accommodantes. Quare cum proprium sit Iurisconsulti de causis & controuersis hominum iudicare & de iure respondere, ut in hac parte etiam aduersariis satisfaciam, qui me Iurisconsultum esse negant; has quatuor Responsorum iuris centurias nunc in publicum emitto; plura, si mihi vita suppetit, progressu temporis emissurus.

DE

DE UTILITATE IVRIS.
PRUDENTIAE ROMANAE

PER NICOLAVM VIGELIVM I. C. *restituta. Carmen I. A.*

VERSAMVR inter Bartolos,
Balbos & inter Angelos.
Versamur inter Imolas,
Balbos, Socinos, Corneos,
Fulgosios, Accursios,
Et mille quos apponere,
Hæc charta non suffecerit
Et volumus Theoricos,
Et Practicos reuoluimus,
Inque his timemus plurimum,
Quæ sunt timenda neququam,
Præ nube mentis arctæ
Angustia que pectoris.
Sed quæ so quæ sit somni,
Quæ causa tantæ pectorum
Mortalium formidinis
Et cæcitatæ? Edoce.
Est Iurium confusio,
Est artis ignorantia,
Est plena sumptus fabricæ
Subselliorum patris,
Artis loco, *Summaris*
Artis loco sunt Indices,
Quos frustulatim sæpius
Indoctiores colligunt;

Hinc nitimur depromere
De Iure quod clientibus
Respondeamus anxii:
Hinc venditare maximam
Adfuescimus scientiam,
Cæcique pro prudentia
Fouemus Eloquentiam.

Sed æquis his medebitur
Mortalium? quis pectorum
Depellet hanc caliginem,
Et cæcitati consulat?
Fouet peritos Iurium,
Quotcunque tellus Itala,
Quotcunque regnum Gallia,
Iberniz, Germaniz,
Vix vnicus de millibus
Clarissimis medebitur
Contagioni, conferat
Si non opem VIGELIVS,
VIGELIVS quem Cattidos
Amœna Lani littora
Ferunt, tuentur ac fouent,
VIGELIVS ni consulat
Æqui, bonique Præfidis
Qui nomen inter cæteros
Meretur ac Antistidis,
Quamuis ei præconium
Hæc parca laudis secula,
Non largiantur debitum;
Is perrependo Iurium
Quorumlibet fideliter
Derupta Iustrat quia,

Et digerendo singula
 Iustum secutus perpetim,
 Quem monstrat vsus ordinem,
 Minuta quæque propriis
 Suis reponit sedibus :
 Hinc actiones singulas,
 Et competentes quaslibet
 Exceptiones promere
 Licebit, atque Replicas,
 Cum Duplicisque Triplicis,
 Cum Triplicis Quadruplicis.
 Non disputare friuole
 Argutiisvè ludere,
 Clientuli negotium
 Hinc discimus. Sed futiles
 Subtilitates spernere
 Et veritatem quærere,
 Et sanctiones provide
 Seruare sacratissimas,
 Et inuenire propere,
 Et iudicare dextere,
 Omni procul formidine,
 Et mentis ægritudine
 Hinc discimus. non copiam
 Fandi vel Eloquentiam
 Non curiarum Principis
 Implere rixis atria,
 Pro more vel licentius
 Ineptias effundere ;
 Sed discimus rogantibus
 Responfa paucis reddere
 Et dictione simplici,

Graui, decenti Sæuolas
Referre vel Calistratos
Vel Vipianos dixeris;
Et discimus feliciter
Umbraticum secernere
De iure certo. Discimus
Prisco nouum cum derogat,
Nouoque cum nouissimum.

Sed quid moramur pluribus?
Antiqua per VIGELIVM
Romana quando vindicem
Iuris cluet prudentia.
I nunc, Vigeli, Gloria
Virtute parca nominis
Tui per orbis vltimas
Clarescat oras. I licet,
Nec labra cures lurida
Dentesve felle liuidos,
Sed inuidi loquentiam
Quod te decet Prudentia
Ridere victor, gestas.
Rumparis at tu Zoile,
Dum doctiora proferas;
Sed doctior non feres,
Cum lucubrationibus
Vigelianis laculum
Hoc vltimum nil viderit
In iuris arte doctius,
Astra nec quid dignius
Exactiusve adspexerit.

2

NICOLAI VIGELII I.C.
RESPONSORVM IVRIS,
CENTVRIA I.

I C A V S A.

FVERVNT tres fratres, Titius, Manius
& Sempronius, ex quibus Manius Titium
fratrem occidit & aufugit. Sempronius fratris
occisi hereditatem tanquam eius ab intestato
heres occupat, quam ab eo pro dimidia parte Fi-
scus petit, quod Manius hereditate fratris à se
occisi indignus sit: ideoque eius portio fisco sit
delata. *Queritur quid iuris.*

D I S P U T A T I O.

Fiscus intentionem suam fundat in iure, quo hereditas heredi indigno aufer-
tur, & fisco defertur: de quo M. I. C. lib. 3.
cap. 11. q. 1. causa 4. M. I. R. lib. 3. cap. 10. reg. 8. &
lib. 4. cap. 9. reg. 18. At heres, qui defunctum
occidit, hereditate eius est indignus, l. Lu-
cius Titius, ff. de iure fisci. l. cum ratio, §. fin. ff.
de bonis damnatorum. M. I. R. de Reg. 18. Ex
parte Sempronij excipitur distinguendo
hoc modo: Nisi homicida cohæredē ha-
beat: quod tunc portio homicidæ nō de-
feratur fisco, sed cohæredi ad crescat. De
cuius exceptionis iure quæstio est, in qua

A s tota

10 R E S P O N S O R V M I U R I S

tota causa consistit; An scilicet, si hæres hæreditate indignus cohæredem habeat, portio eius fisco non deferatur, sed cohæredi adcreseat? Sempronio huius iuris tâquam suæ exceptionis pbatio incumbit. Speciali lege destituitur, sed ad probandū vtitur hoc argumento; quod factum fratris nō noceat fratri, *l. 2. §. Fratris. ff. Si quis aliquem testari prohibuerit*. At de minore propositione huius argumenti dubitari potest. Non enim factum parricidæ hoc casu fratri Sempronio nocet, quamuis eius portio fisco deferatur: cum Sempronius nihilominus suā portionem in hæreditate occisi saluā habeat, & fiscus etiam substitutum excludat, *Will. F. 154*. Quinimō factum parricidæ plus profuit quam obfuit fratri cur delata est occisi hæreditas: quam alias forte nunquā fuisset adeptus. Itaq; exceptio proposita, tanquā iure non satis probata, non est admittenda, idq; in allodialib. Quo ad feuda vero antiqua, ab occiso relicta, aliud dicendum est: Nam certi iuris est, quod Vafallus, qui fratrem suum occidit, per hoc feudū amittat, idq; non ad dominū, multo minus ad fiscum, sed ad proximiorē adgnatum reuertatur,

M.L.F.

M. I. F. cap. 5. q. 2. reg. 1. except. 1. Accedit M. I. R. lib. 1. cap. 11. reg. 35. except. 2. cum seq.

Idem argumentum tractauit, sed pro fratre, Schurff. cent. 1. consil. 54. in hæc verba: *Vt presentis decisionis veritas magis innotescat, adducam quæ contra illam facere videntur. Et primo licet iure cautum sit, quod is qui occidit aliquem, non possit ei, neque eius heredi succedere, l. Lucius. ubi est notabilis text. Quod uxor occidens maritum, non potest filio eius ex marito procreato succedere, & ibi Bart. in 3. no. ff. de iure fisci. l. cum ratio. §. fin. & ibi Bart. ff. de bonis damna. l. Sororem, C. de iure delib. Tamen isto casu solum admittitur Fiscus, d. l. Lucius, & d. §. fin. Et quamuis Bartol. in d. §. fin. nota. 2. dicit hoc esse verum, nisi sit alius non interficiens, qui in eodem gradu sit cum interfectore, quod videlicet tunc talis excludat Fiscum, allegans ad hoc l. 2. §. fratris. ff. si quis aliq. test. prohib. Tamen hoc videtur contra textum expressum l. Is consequenter, §. 1. ff. famil. hercis. ubi est casus notabilis, quod hæres dignus cohæredi indigno, ea quod non vindicauit necem defuncti, non potest de hoc opponere, nec impedire iudicium diuisoriũ: & sic videtur in terminis nostris quod N. hæres dignus nepotis sui ex fratre non possit oppo-*

opponere cohæredi indigno fratri suo, quod scilicet
 interfecerit fratrem utriusq; & per d. §. 2. Bal.
 in l. Hæreditas. C. de his quib. vt indignis,
 in fin. vers. Et nota quod Bal. expresse repro-
 bat dictum Bart. in d. l. cum ratio, §. fin. sub-
 dens, illum male loqui. & contra casum d. l. is
 consequenter, §. i. Nam si portio cohæredis in-
 digni applicaretur cohæredi digno, sequeretur
 quod hæres dignus conuentus diuisorio iudicio
 familia eriscunda posset excipere de iure suo,
 quod tamen est contra casum illius §. i. Ergo,
 &c. Nec obstat iuxta Bald. ibi Auth. bona da-
 mnatorum. C. de bonis damnat. quia hic
 non venit fiscus causa capitalis damnationis, sed
 ratione indignitatis. Item secundo videtur for-
 titer contra dictam decisionem facere gl. 2. no-
 tab. & approbata communiter in dict. §. i. quæ
 vult, quod occidens testatorem non ipso iure a-
 mittat hæreditatem, sed fiscus auferat ab eo, vt
 ab indigno, & solus fiscus possit hoc opponere, &
 non proximior adgnatus interfecti. Idem vult
 gloss. quam ibi sequuntur Legistæ in d. l. soro-
 rem, in gl. i. ibi: Item alia ratione, quia non
 ei sorori, sed fisco applicaretur. Et sic cohæres in-
 dignus non potest excipere de iure fisci, & ita
 tertij, à quo non habet causam, præallegata glo.
 Tamen istis & aliis non obstantibus, in præsen-
 tiarum

tiarum arbitror contrarium de iure verius, &
ita supra datam responsionem de iure funda-
tam. Et primo probabiliter potest attemperari
decisionem Bar. in d. l. cum ratio, §. fin. esse
veram, in quantum vult, quod si sit alius non
interficiens, qui sit cum interfectore in eodem
gradu, quod talis scil. solus admittatur, excluso
fisco, ad successionem interfecti scil. per text. al-
legat. per Bartol. in d. §. fratris. Vbi dicit Iure-
conf. fratris autem factum fratri non no-
cet, &c. Et licet tex. in d. §. fratris, loquatur in
aliis terminis, & in casu speciali, scil. si vnus
fratrum prohibeat alium testari de nouo, secun-
dum vnum intellectum gl. qui est clarus & bo-
nus secundum Bartol. ibi: vel secundum alium
cum vnus fratrum, qui solus erat institutus in
primo testamento, prohibuit testamentum quo
casu alteri fratri non nocet, sed prodest, habebit
enim partem suam: tamen ratio est generalis,
quia tex. loquitur generaliter, scilicet quia fa-
ctum fratris fratri non nocet. Et regula est,
quod, si lex est specialis, ratio autem generalis,
ratio generaliter sit intelligenda, l. Regula.
ibi: & licet municipum mentio, &c. & ibi
Bar. expresse ad hoc notat. ff. de iuris & facti
ignor. Et sic videtur quod praallegatae leges,
scilicet l. Lucius, l. cum ratio, §. fin. & etiam
l. Ha.

I. Hæreditas in 2. respon. & d. gloss. in d. l. is consequenter, §. 1. & d. l. sororem, *limitentur non procedere in terminis Bart. in d. §. fin. Videlicet quando alius non interficiens sit in eodem gradu cum interfectore, admittatur excluso fisco. In quibus terminis præciso hic sumus: cum factum fratris regulariter non noceat fratri, d. §. fratris. Sed si propter fratricidium alterius fratris solus fiscus admitteretur excluso fratre non interficiente, factum fratris noceret fratri contra d. §. fratris. Ergo, &c. Hactenus disseruit Schurff. de casu proposito, quoad bona occisi allodialia. Ea quæ in d. consilio 54. sequuntur, pertinent ad bona feudalia, in quibus à Schurffio non dissentio.*

II. Iure Saxonico mater in successione filij præfertur ipsius fratribus & sororibus, contra ius civile; sed in ciuitate N. sita in Saxonia, extat statutum, quo patruus defuncti matrem à successione excludit. Quæstio est an statutum illud deroget iuri Saxonia, ut deficiente patruo, fratres & sorores defuncti succedant unà cum matre, secundum ius civile?

D I S P U T A T I O.

Fratrum & sororum defuncti intētio, fundata est in iure, quod cū matre defuncti fratres vel sorores ab intestato succedunt:

dunt: de quo *M. I. C. lib. 10. c. 4. reg. 2. exc. 2.*
& reg. 5. exc. 6. in fin. item M. I. R. lib. 4. c. 6. reg.
6. exc. 7. & reg. 8. exc. 1. Ex parte matris exci-
 pitur, quod ius hoc ciuile per ius Saxonicum,
 quo mater defuncti fratres, & sorores ex-
 cludit, sit sublatum. Quæ exc. approbatur per
 ea, quæ habentur *M. I. R. lib. 1. c. 2. exc. 16.* Sed
 huic exceptioni replicando statutum ciui-
 tatis N. opponitur, quo patruus defuncti
 matrem excludit. Vnde videtur dicendum
 quod ius Saxonicum in d. ciuitate N. sit sub-
 latum. Hæc replicatio ex parte matris non
 negatur, quod ius Saxonicum in dicto casu
 sit mutatum; additur tamen, quod ista mu-
 tatio statuti non sit extendenda ad casum,
 de quo disceptatur. Quæstio in qua caus-
 sa proposita consistit, est, An dictum statu-
 tum ciuitatis N. de patruo defuncti exclu-
 dente matrem, sit extendendum ad casum,
 quo mater defuncti fratres & sorores ex-
 cludit, vt in hoc etiã casu ius Saxonicum
 videatur mutatum? Actoribus probatio
 huius quæstionis incumbit, tum quia af-
 firmant, tum etiam, quia in correctoriis
 statuta ab vno casu ad aliũ non extendun-
 tur, *M. I. R. lib. 1. c. 1. reg. 5. exc. 7.* Ad hæc re-
 gula, quod in correctoriis non admittatur
 exten-

extensio, distinctionem recipit hanc: Nisi extensio in correctoriis nos reduceret ad legem antiquam M.I.R. *d. exc. 7. repl. 3.* Qui casus videtur causæ propositæ inefficax. Nam maior est ratio in fratrib. & sororibus defuncti cum matre admittendis, secundum legem antiquam seu secundum ius ciuile, quam in patruo matrem excludente. Itaque secundum hanc distinctionem videtur in causâ propositâ, pro actoribus respondendum.

Idem argumentum sed pro matre tractat Schurff. *cent. 1. concl. 55. his verbis: Exploratissimi iuris est, quod casus omissus à statuto siue iure municipali remanet in dispositione iuris communis. Quia dispositio limitata in uno casu, non operatur nisi in illo, l. si cum dotem, ff. soluto matrim. in princ. l. commodissime, ff. de liberis & posth. l. si extraneus, cū simil. ff. de condict. ob causam. Et ubi verba statuti cessant, cessat & ipsum statutum, l. illam C. de collatio. & ibi Bald. in 1. notab. Et statutum non potest trahi ad casus per ipsum non decisos, nec ad personas speciales. Ideo si statuto mater excluditur à successione filij extante patruo, non tamen excluderetur amita, nec etiam soror secundum Cyn. in l. 1. C. quæ sit longa*

longa consuetudo. Bald. Paul. de Castro, Alexand. de Imola. in d. l. Illam. *Qua maxime in presentiarum locum sibi vendicant: cum dictum statutum municipale ciuitatis N. commune ius Saxonum corrigat, quod scilicet indifferenter hereditatem liberorū defert matri. Quod etiam erat de iure antiquo, post legem scilicet 12. Tabularum, quod tantummodo matres ad successionem liberorum sine liberis decedentium exclusis fratribus & sororibus vocabat, &c. Et illud ius erat inductum per diuum Claudium & Senatusconsultum Terullianum. Inst. eod. in prin. ibi: Sed hæc iuris licet postea superuenerunt noua iura C. & Auth. admittentia eas scil. cum fratrib. & sororib. Sed lex noua corrigens ius commune, sicut hic dictum statutum prædictum ius commune Saxonum conforme prædicto iuri communi antiquo non extenditur ad casum non expressum etiam ex identitate rationis: Cum in correctoriis etiam ex maiori parte rationis non sit licita extensio. Auth. quas actiones, cum ibi notatis. C. de sacros. Ecclesiis, glo. in l. Tam is, §. 1. in fin. ff. de donat. causa mortis. Bartol. in l. Præcipimus, §. fin. per tex. ibi. C. de appellat. Bart. & Doctor. in l. si vero, §. De iure, ff. solut. matrim. Bart. & Doctor. in d.*

B

Auth.

Auth. *Et est text. rotundus in Auth. de ad- ministr. offic. in sac. appel. in fine. ibi dum dicit: Quoniam dum nihil omnino super istis innovatum sit, antiquam servamus figuram. & ibi: gloss. in verbo. Nihil omnino, quae expresse notat. Et sic clarissime patet quod dictum statutum nedum contra commune ius Saxo- num, sed etiam ll. C. & iura Auth. quae admit- tunt matrem cum fratribus & sororibus, sit in- ductum, sed contra §. Sed cum antea Inst. ad Senatusconsult. Tertullianum, & Auth. defuncto. C. ad Tertul. loquens & disponens in uno casu tantum, scilicet, wann der Vater oder Mutter das Kind abgetheilt / ic. non extenditur ad alium casum in illo non ex- pressum. Et ita quando filiis ab intestato est de- lata hereditas paterna vel alia, & postea dece- dunt, sicut in praesentiarum filio ab intestato pa- tris hereditas pro rata sua delata est, sed quod l. cum habeat ius Saxonum. Et est sine omni scrupulo, &c. Hac Schurffius qui iura C. & Auth. noua appellat respectu iuris Pandecta- rum: sed respectu iuris Saxonici recte antiqua dici possunt, in quibus supra dicta distinctio lo- cum habeat.*

III, *Anna Petro stipulanti, promittit ma- trimonium sub hac conditione, si pater suus con- senserit.*

*senferis. Postea patre non consentiente, secus à
est copula carnalis: Queritur an matrimonium
subsistat?*

D I S P U T A T I O.

Petrus agit ad cōsummandum matri-
monium aduersus Annam actione ex sti-
pulatu: Quæ describitur *M. I. P. lib. 4. cap.
17. & M. I. R. lib. 3. cap. 8. reg. 22.* Ad quam
actionem elidendam ex parte reæ duplex
opponitur exceptio: vna defectus condi-
tionis, altera defectus consensûs patris in
cuius est potestate. Prima exceptio certi
iuris est, quod matrimonio sub conditio-
ne promisso deficiente conditione, defi-
ciat actio per ea, quæ habentur *M. I. P. lib. 4.
cap. 11. quest. 4. except. 3. & M. I. R. d. cap. 8. reg.
21. except. 33.* De facto huius exceptionis si
dubitetur, hoc est, patrem reæ non con-
sensisse, ipsi actori tanquam affirmanti,
probatio incumbet. At actor replicando
elidit hanc exceptionem hæc modo: *Cop-
pula carnali secuta videtur à conditione
contractus recessum, s. Per tuas, de conditio-
nib. adpositis.* Cui replicationi quid obstat
non video. Itaque ratione huius replica-
tionis cæso exceptionem oppositam non
esse admittendam.

Altera ipsius reæ exceptio est, quod pater ipsius, in cuius est potestate, matrimonio non consenserit. Quæ exc. subsistit per ea, quæ habentur *M. I. C. lib. 4. cap. 4. except. 1. & M. I. P. libr. 4. cap. 14. except. 2.* Controuertitur tamen *M. I. R. d. reg. 11. except. 26.* Vbi asseritur hanc exceptionem iure pontificio esse mutatam. Quia tamen hæc mutatio est controuersa, dicendum est, eam non esse attendendam. Nec huic exceptioni obstat quod copula carnalis sit secuta: cum liberi inde nati non sint legitimi, *l. Paulus 11. ff. de statu hominum.* Itaque nisi alia melior ratio adferatur, quæ exceptio proposita elidatur, dicendum ream à petitione actoris esse absolendam.

IV, Titio absenti fratris hereditas est delata. Is ignorans hereditatem sibi esse delatam, absens moritur. Queritur an hereditatem fratris non aditam ad suos heredem transmisit?

D I S P U T A T I O. 131

Regulariter quidem hereditas nondum adita ad heredem non transmittitur: de quo iure agitur *M. I. C. lib. 9. cap. 20. reg. 1. except. 1. & M. I. R. lib. 4. cap. 5. reg. 1. except. 1.* De cuius exceptione in causa proposita

posita dubitatur, si is, cui hæreditas delata est, ignorans eam sibi esse delatam, decesserit antequam hæreditatem adiret. Cuius probatio hæredibus absentis incumbit. Probatum autem per ea, quæ habentur *M. I. C. d. exc. 1. repl. 7.* Vbi dicitur, quòd per restitutionem in integrum hæredibus succurratur.

V, Caius, cum peteret hæreditatem Tisij fratris defuncti, nulla liquidatione rerum hæreditariarum facta, ad libellum incertum, incertam etiam sententiam adeptus est, quareus ad restitutionem hæreditatis est condemnatus. Quaeritur, an sententia valeat?

D I S P U T A T I O.

Regulariter quidem præsumitur pro sententia, quòd valeat, *M. I. C. lib. 2. c. 29. q. 2. reg. 2. in prin. & M. I. R. lib. 2. cap. 18. reg. 5. in pr.* Cui obstat excep. hæc, quòd sententia incerta non valeat, nec executionem mereatur, *M. I. C. d. reg. 2. except. 37. & M. I. R. d. reg. 5. except. 23.* Quæ exceptio, cum ipso iure subsistat, & causæ propositæ insit, aliqua distinctione est elidenda: Inter distinctiones autem, quibus elidatur, numeratur & hæc, quòd in vniuersalibus iudiciis, qualis est petitio hæreditatis, admittatur libel-

lus incertus, & incerta sententia, *M. I. R. d. excep. 23. repl. 1.* Ex cuius allegatis patet, non obstante sententiæ incertitudine, ad executionem procedendum esse ita, ut in causa executionis liquidatio & probatio rerum hæreditariarum fiat.

VI, Mæuius, cum negotia Titij gessisset in ciuitate A, domicilium transtulit in ciuitatem B. Titius aduersus eum negotiorum gestorum actionem instituturus, fecit eum in ius vocari in ciuitate A, ubi negotia gesta sunt. At Mæuius fori præscriptionem opponit, quia in ciuitate B, domicilium habeat, ibi iudicium suscepturus. Queritur, quid iuris.

DISPUTATIO.

Mæuius intentionem suam fundat in iure, quo reus ibi, ubi domicilium habet, sit conueniendus, de quo *M. I. C. lib. 2. c. 2. q. 1. excep. 15. & M. I. R. lib. 2. c. 2. q. 2. except. 12.* Cui obstat exceptio hæc, nisi alibi reus cōtraxerit, vel negotium gesserit, cuius nomine conuenitur: tunc enim in eo loco, ubi cōtractum est, vel negotium gestum, conueniri potest, *M. I. C. d. excep. 15. repl. 1. & repl. 6. M. I. R. d. exc. 12. repl. 1.* Qua exceptione eliditur Mæuij fori præscriptio per replicationem opposita. Sed huic obstare vide-

vide

videtur duplicatio hæc, Nisi reus in loco contractus nõ deprehendatur: tunc enim inuitus ad illum locum non est remittendus. Quæ duplicatio ab auctore negatur. Ideoq̃ue de iure huius duplicationis controuersia est, An reus inuitus ad locum contractus sit remittendus? Mæuius eius probatio tanquam suæ duplicationis incumbit. Licet autem sit controuersa, *M. I. R. d. repl. 1. dupl. 3.* tamen, cum in iudicio Cameræ sit approbata, teste *Myns. cent. 2. obs. 5. in fi.* potest admitti. Itaque pro Mæuius reo in casu proposito respondendum.

VII, Scius gessit tutelam filiorum Titij, & ratione non reddita, moritur: in cuius locum alius tutor surrogatur. Post multos annos pupilli maiores annis facti tutela actionem aduersus liberos Scij ad rationem reddendam instituunt. Rei conuenti longissimi temporis, hoc est, triginta annorum præscriptionem obiciunt. Quærisur, quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Rei conuenti intentionem suam fundant in iure, quo omni actioni, quæ nõ habet speciale tempus præfinitum, triginta annorum obstat præscriptio: de quo *M. I. C. lib. 15. c. 12. in pr. vers. Quibus autem, M. I. R.*

lib. 5. cap. 2. reg. 4. in prin. Computant autem rei tempus à die, quo pater illorum, Scius, mortuus est. At replicando obiicitur, quòd impuberibus tempus non currat, *M. I. C. d. c. 13. exc. 11. repl. 2. dupl. 1. M. I. R. d. reg. 4. excep. 11. repl. 1.* Si igitur computatione facta à tempore, quo impuberes decimum quartum annum compleuerunt, triginta anni nondū sunt elapsi, reis temporis præscriptio ab iis opposita non prodest. In eo autem difficultas est, si pupillorum alij citiùs, alij tardiùs ad pubertatem peruenerint, à quorum pubertate triginta anni computandi. Et videtur dicendum, quòd iis, qui citiùs ad pubertatem peruenerunt, si aduersus illos triginta anni elapsi sint, nihil profit ad elidendam longissimi temporis præscriptionem, quòd fratres tardiùs puberes facti sunt; quoniam illis statim post impletam pubertatem tutelæ actio competiit, *l. Tutores, 28. §. pen. ff. de admin. tut.* Quoniã igitur ij temporis præscriptione à tutelæ actione submoventur; videndum, an illorum portio in hac actione fratribus, quibus temporis præscriptio non obstat, ad crescat? Sed quia tutelæ actio ex quasi contractu oritur, *l. 4. §. Tutelæ ff. de*

ff. de actio. & oblig. test. de obliga. que quasi ex contractu nasc. §. Tutores. Et in contractibus, & quasi contractibus iuri ad crescendi locus non est, *M. I. R. lib. 4. c. 5. reg. 27. excep. 9.* Dicendum fratribus minoribus portiones fratrum maiorum, qui temporis præscriptione ab actione tutelæ excluduntur, non ad crescere, nisi ratione rei, quæ actione ista petitur, puta, quia agitur ad reddendas rationes, & ita ad factum, quod est indiuiduum; potest dici iuri ad crescendi locum esse per ea, quæ habentur *M. I. R. d. exc. 9. rep. 3.*

VIII, *Sempronius moritur relicto filio Clerico & fratre suo Caio, qui ad successionem feudorum à Sempronio relictorum filio excluso petit admitti. Queritur, quid iuris?*

DISPUTATIO.

Caius intentionem suam fundat in iure, quo transuersales defuncto in feuda antiqua succedunt: de quo agitur *M. I. F. c. 4. q. 2. reg. 3. in pr.* Cui actioni obiicitur exceptio hæc, quòd defunctus Sempronius filium reliquerit, per quem frater excludatur, Quæ exceptio ab actore Caio eliditur replicatione hac, quòd filius Clericus in feuda non succedat. Ius huius replicationis, in cōtrouersiam venit, An Clericus in

B 5 feuda

feuda succedat? Quæ quæstio controuertitur *M. I. F. d. q. 2. reg. 2. exc. 18.* Negatiua autem probatur multis textibus iuris feudalis, *d. excep. 18. & M. I. F. c. 5. q. 1. caus. 2.* Esti autem nō desunt textus iuris Pontificij, quibus affirmatiua probatur, vt *c. veram, & c. Ex transmissa, de foro competenti*: tamen dubitari potest an licuerit Pontifici contra tam apertos textus iuris feudalis optima ratione sancitos ius feudale abrogare. Accedit, quòd replicatio proposita in Camere iudicio dicitur approbata, *Myns. cent. 5. obs. 48. n. 8.* Ideoq; dicēdum, replicationem propositam, quamuis controuersam, esse admittendam, & pro actore Caio in causa proposita respondendum.

IX, Nobilis A in pradiis pagi B, per multos annos paut oues suas rusticis scientibus & non contradicentibus. Tandem negant illi in suis pradiis ius pascendi: At Nobilis contra eos confessoriam actionem instituit, qua ius pascendi in pradiis rusticorum sibi defendit. Queritur, vtri parti in hoc iudicio probatio incumbat?

D I S P U T A T I O.

Rustici negantes Nobili A, ius pascendi competere, intentionem suam fundāt in iure, quo affirmanti, non neganti proba-

tio

tio incumbit : de quo *M. I. R. lib. 2. c. 9. reg. 5. in pr.* Quod ius eliditur hac exceptione, nisi affirmans rem, de qua contenditur, possideat : Nā possessio releuat ab onere probandi, *M. I. R. d. reg. 5. exc. 5. repl. 1.* At in casu proposito constat, nobilem esse in possessione vel quasi iuris pascendi. Ideoque aduersariis videtur incumbere probatio suæ negatiuæ. Hæc exceptio nobilis eliditur replicando duplici ratione : quarum prima est, quòd aëtori actionis suæ probatio incumbat : deinde, quòd præsumtio sit contra possessorem. Prima replicatio est indubitati iuris per ea, quæ habentur *M. I. C. lib. 2. c. 17. q. 2. reg. 2.* At in cõfessoria Nobilis aëtor est. Itaque ab onere probandi non releuatur per possessionem, non magis quàm is, qui interdicto, *uti possidetis* experitur. Hic enim quamuis rem, de qua agitur, possideat, nihilominus tenetur probare se possidere, & se ab aduersario in sua possessione turbari, vt in hoc casu interpetitorium & possessorium nulla sit differentia. Altera replicatio, qua exceptio Nobilis eliditur, est, quòd præsumtio sit contra possessorem. Siquidem qualibet res præsumitur libera, nisi seruitus probetur,

M.I.R. lib. 2. c. 11. in verb. Seruitus. Quo casu possessio ab onere probandi non releuat, *M.I.R. d. repl. 1. dupl. 3.* Hisce duabus replicationibus quid obstet, non video. Itaque censeo, exceptione opposita non obstante, Nobili probationem sui iuris seu confessoriae actionis incumbere,

X, Seius à Mauiō heres institutus, cum solueret legata in testamento relicta, ex singulis legatis aliquid detraxit, negans in solidum solutis legatis quartam hereditatis partem sibi remanere. Contrarium affirmant legatarij, hereditatis quartam partem remanere heredi Seio, etiam in solidum legatis solutis. Questio est, vtrum in solidum legatis solutis heredi remaneat quarta pars hereditatis, nec ne. De probatione huius questionis dubitatur, vtri parti ea incumbat?

D I S P U T A T I O,

Seius hæres intentionem suam fundat in iure, de quo supra causa proxim. dictum est, quòd affirmanti, non negati probatio incumbat. Sed hoc ius distinctionem recipit in exceptione probandi, quam reus etiam negatiuam tenetur probare per ea, quæ habentur *M.I.R. d. reg. 5. exc. 6.* Vbi distinctio hæc controuersa quidem apparet, verum

verum in casu proposito expresse approbatur, *l. Cum de lege Falcidia, 17. ff. de probat. his verbis*: Cum de lege Falcidia queritur, heredis probatio est locum habere legem Falcidiam, hoc est, Legatis in solidum solutis quartam hereditatis partem penes heredem non remanere. Dicendum itaque; Seditio heredi probationem suam exceptionis, quamvis negatiuae, incumbere.

XI, Titius, cum haberet Sempronium de adulterio cum uxore sua suspectum, passim illum de hoc crimine diffamavit. Unde Sempronius conditionem ex l. Diffamari, adversus illum instituit: Cumq; Titius non compareret, iudex bina citatione non premissa, perpetuum silentium ei imponit. Queritur, si Sempronius postea cum uxore Titii in adulterio deprehendatur, an Titius eum de adulterio possit accusare?

DISPUTATIO.

In hac causa Sempronius de adulterio accusatus defendit se exc. rei iudicatae, qua Titio ex *l. Diffamari*, convento, & non comparente, perpetuum silentium est impositum. Quam exc. Titius accusator duplici replicatione elidit: quarum prima est, quod non bina citatione premissa iudex sententiam tulerit. Altera est, quod ex nova causa ac-

sa accusatio instituat. Quod ad primam replicationem attinet, ea est controuersa de iure, sc. An in conditione ex l. *Diffamari*, sententia valeat, bina citatione nō prae-missa. *M. I. R. lib. 5. cap. 10. reg. 90. exc. 2.* Ideoque eam censerem nō esse admittendam, nisi in iudicio Camerae esset comprobata, teste *Myns. cent. 3. obs. 86.* Cuius authoritati adquiesco. Altera Titij replicatio minus habet difficultatis. Nā certi iuris est, quod ex noua causa agenti exc. rei iudicatae non obstat, *M. I. C. lib. 24. c. 14. exc. 4. in pr.* At in casu proposito Titius accusationem instituit ex adulterio post sententiam d. cum uxore sua à Sempronio commisso; quod adulterium non potest dici idem cum primo: quia quot sunt facta, tot causae sunt, nec alia per aliam consumitur, *l. si sic, l. 33. ff. de V. O.* Itaq; dicendum, Titio ex hoc posteriori adulterio accusationē instituenti exceptionem rei iudicatae non obstat.

XII, Menius in causa civili citatus comparuit per procuratorem. Sed nihilominus tanquam contumax est condemnatus. A qua sententia appellauit, & tandem impatientia diuturnitatis litis appellationem deseruit. Queritur, an nihilominus sententiam nullam dicere possit?

DISPV.

D I S P U T A T I O.

Mæuius sententiam nullam dicens intentionem suam fundatam habet in iure, quo citatus in causa civili per procuratorem cōparens contumax dici non potest, *M. I. C. lib. 2. c. 32. q. 3. exc. 4.* & *M. I. R. lib. 2. c. 5. reg. 22. exc. gen. 39.* Cui ab aduersario opponitur exc. hec nisi cōdemnatus à sententia appellans appellationē deseruerit: ob hoc enim sententiam nullam amplius dicere non potest. De iure huius exc. cōtrouersia est, an appellans, qui appellationem deseruit, postea non possit sententiam nullam dicere? Neganti hoc casu, tanquā suæ exc. probatio incumbit. Sed nulla lege speciali eā probare potest, nec procedit argumentum ab appellatione ad nullitatis causam: cum separatorum separata sit ratio, ubi expresse exceptio proposita reprobatur, *M. I. R. lib. 2. c. 18. reg. 5. in si. repl. gener. 6.* Itaque dicendum, Mæuium exceptione opposita non obstante, ad nullitatis causam esse admittendum.

XIII, Caius habens iurisdictionem causarum civilium in pago N, cum inter Titium & Mæuium laicos de decimis lis apud eum esset, *prolestatur in hac quasi possessione iurisdictionis*
ab E-

ab Episcopo loci, qui dictam causam ad se auocat. Unde Caius aduersus eum interdictum, uti possidetis, instituit. *Queritur quid iuris?*

DISPUTATIO.

Caius intentionem suam fundatam habet in iure, quo possidenti vis fieri prohibetur: de quo *M. I. C. lib. 7. c. 20. q. 8. caus. 1. & M. I. R. lib. 3. c. 14. reg. 45.* Cui excep. ab Episcopo opponitur, quod causæ decimarum ad iurisdictionē Episcopi pertineant. Quæ exceptio à Caio auctore eliditur replicatione hac, quod hæc exceptio ad petitorium iudicium pertineat. Ea verò, quæ ad petitorium iudicium pertinent, in possessorio iudicio obici non posse. Quæ replicatio approbatur, *M. I. R. d. c. 14. reg. 71. excep. 2. & d. lib. 2. cap. 10. reg. 1. excep. 4.* Cui duplicando ab Episcopo opponitur, quod actor non magis sit in quasi possessione iurisdictionis causarū de decimis, quàm in quasi possessione iurisdictionis causarum criminalium. Nunquam enim incidisse apud eum causam de decimis. *Questio* oritur, an actor sit in quasi possessione iurisdictionis de decimis? Cuius probatio actori incumbit. Probat autem ex eo, quod causa de decimis civilibus, non criminalibus

bus

bus causis connumeretur. Itaque cum actor sit in quasi possessione iurisdictionis causarum ciuillium, præsumi, quod etiam in quasi possessione iurisdictionis sit causarum de decimis: cum semper specialia generalibus insint, & per usum partis retineatur totum, *Schurff. cent. 1. conf. 59. nu. 26. cum tribus seqq. & conf. 78. nu. 6. cum seq.* Dicendum itaque, in hac causa reum condemnandum secundum petita actoris, salvo illi iudicio petitorio.

XIV, Berta in testamento paterno sibi relictum legatum agnouit, & apocham de eo soluto fratribus dedit. Queritur, si id minus legitima sit; an ad supplementum legitima agere possit.

D I S P U T A T I O.

Berta intentionem suam fundatam habet in iure, quo ad supplementum legitimæ agere potestis, cui minus legitima in testamento relictum est. *M. I. R. lib. 4. cap. 8. reg. 34. in pr.* Cui actioni ab aduersario opponitur exceptio hæc; quod actrix iudicium defuncti agnouerit eo ipso, quod legatum sibi relictum acceperit, & fratribus apocham dederit. Ideoq; actionem illi denegandam, quæ exceptio subsistit per ea,

C quæ

quæ habentur *M.I.C. lib. 11. c. 4. q. 2. excep. 33.*
 & *M.I.R. d. c. 8. reg. 24. excep. 10.* & causæ pro-
 positæ inest. Ideoque negari non potest.
 Replicando tamen obiicitur, quod illa ex-
 ceptio querelam inofficiosi testamēti ex-
 cludat, non autem actionem, qua agitur
 ad supplementum legitimæ. Cuius repli-
 cationis maior propositio ab aduersario
 negatur. Vnde controuersia. oritur de re-
 plicationis iure, an is, qui iudicium defun-
 cti agnoui, ad supplementum legitimæ a-
 gere possit? Cuius probatio ætrici incum-
 bit, Probatur autem *l. si quando, 35. §. Et ge-
 neraliter, C. de inoffic. test.* Dicendum itaque
 Bertæ, actionem ad supplementum legiti-
 mæ non esse denegandam.

*XV, Titius ades suas Seio vendidit pro mil-
 le aureis, easq; illi tradidit. Queritur, si Seius
 precio pro parte soluto bonis cesserit, an Titius in
 adibus venditis cæteris creditoribus, donec reli-
 quum precium illi sit solutum sit præferendus?*

D I S P U T A T I O.

Titius intentionem suam fundat in iu-
 re, quo dominium rei venditæ precio non
 soluto, in emptorem non transit: de quo
M.I.C. lib. 7. c. 4. causa 1. exc. 13. Dominus au-
 tem in re sua cæteris creditoribus præfer-
 tur,

tur, *M. I. C. lib. 2. c. 35. reg. 9.* Huic iurì à cæteris creditoribus obicitur exceptio hæc, quòd Titius emptori Scio fidem de precio habuerit: quo casu translatum sit dominium in emptorem, etiam precio non soluto, *M. I. C. d. except. 13. repl. 2.* Huius exceptionis Titius negat minorem, propositionem scilicet, se fidem Scio de precio habuisse. Lis est de facto exceptionis, an Titius Scio fidem de precio habuerit? Creditoribus p̄batio eius incumbit. Ad probandum autem vtuntur hoc argumento, quòd venditor rem venditã emptori tradendo præsumatur ei fidem de precio habere. Quæ tamen præsumptio est controuersa per ea, quæ habentur *M. I. R. lib. 3. cap. 13. reg. 24. exc. 18.* Itaque, nisi creditores meliùs suam replicationem probauerint, contra eos pro Titio in causa proposita est respondendum.

XVI, Sempronius feudum suum antiquum N. adgnato suo remotiori cum consensu domini vendidit: Caius filius eius illud post annum oblato pretio reuocare conatur. Quaritur, quid iuris?

DISPUTATIO.

Caius, Sempronij filius, intentionem

C 2 suam

suam fundat in iure, quo feudo antiquo alienato sine consensu adgnatorum ij reuocare feudum alienatū possunt: de quo *M. I. F. cap. 5. quest. 1. causa 27. except. 25. repl. 1.* Cui obstat exceptio hæc, nisi intra annum illud non reuocauerint: ex eo enim alienationi consensisse præsumuntur. Ideo post annum reuocare volentes, exceptione repelluntur. *M. I. F. d. repl. 1. dupl. 8.* Quæ exceptio replicando ab actore eliditur, quod adgnatis tantum transuersalibus hæc annalis obstat præscriptio, non etiam filio alienantis. De iure huius replicationis controuersia est, an annalis illa præscriptio solis adgnatis transuersalibus, non etiam filio alienantis obstat? Actori eius probatio, tanquam suæ replicationis incumbit. Probari autem videtur ex eo, quod actioni, cui nullum speciale tempus à lege definitum est, non nisi triginta annorum obstat præscriptio per ea, quæ supra in Disputatione septimæ causæ sunt adducta. At filio alienantis feudū videtur speciale tempus, hoc est, annus definiri per *c. Titius filios, si de feudo defuncti contentio sit.* Ergo actor dicto argumēto nō videtur satis suam replicationem probasse. Cui sententiæ videtur

detur etiam accedere communis opinio, ut patet ex allegatis *M.I.F.d. dupl. 8. cum dupl. sequ.* Cui tamē ex Baldo cōtradicit *Schurff. cent. 1. cons. 4. & cons. 89.* Cuius opinio mihi quidem videtur probabilior, scilicet, quod *d. ca. Titius filios*, tantū loquatur de adgnato transuersali proximiorē, non de filio alienantis, Artamē, quia eadem est ratio in filio, quā in adgnato, qui ideō annali præscriptione submonetur, quod dum per annum tacuit, tacitē videatur alienationi consensisse; idem quoque ius in filio mihi videtur obtinere, scil. quod ob tacitum consensum annali præscriptione sit submouendus. Ideoq; contra actorem in causa proposita censeo respondendum.

XVII, Moritur Seps, relictis post se A & B, duorum fratrum filiis, & C ex tertio fratre nepote, item feudo antiquo. Queritur, cum dictus A, B & C, simultaneè à domino feudi sint inuestiti, an simul etiam in feudo succedant?

DISPUTATIO,

Duorum fratrum filij A & B intentionem suam fundatam habent in iure, quo proximiores gradu remotiores à successionē excludunt: de quo *M.I.C. lib. 10. cap. 6. exc. gener. in pr. & M.I.R. lib. 4. cap. 6. regu. 9.*

except. gener. 1. Quod ius, cum in allodialibus obtineat, etiam in feudis obtinere debet: cum in feudis hoc casu nullum speciale ius in contrarium reperiatur. *M. I. F. cap. 1. regu. 7.* Dicendum itaq; in casu proposito dictum C, tanquam gradu remotiorem à patris suis A & B, à successione defuncti Seii excludi, non obstante simultanea investitura: cum illa intelligatur facta salva gradus prerogativa, nec enim ea ius novum tribuit, sed tantum in recognitionem adgnationis, & futuræ successio- nis interponatur.

XVIII, Cum inter Caium & Sempronium de prædio quodam hodie esset, hac lis per transactionem inter eos sopita est, quæ transactio in scripturam est redacta. Postea tamen de quibusdam articulis in scriptura contentis, dubitatio est orta, quasi aliud scriptum, aliud actum esset. Produciuntur testes, in quorum præsentia est transactum: quorum duo negant ita esse transactum, ut est scriptum, alij non recordantur. Quæritur, an per dictos duos testes instrumentum transactionis infirmetur?

D I S P U T A T I O.

Etsi pro instrumento præsumptio est, quod sint vera, quæ in eo scripta sunt per
sa, quæ

ca, quæ habentur *M. I. R. lib. 2. cap. 12. reg. 5. in pr.* Tamen non minor præsumptio est pro dictis testium per ea, quæ habentur *M. I. R. d. lib. 2. cap. 13. reg. 37. in pr.* Vnde *L. in exercendis, 15. C. de fide instrumentorum*, dicitur, In exercendis litibus eandem vim obtinent tam fides instrumentorum, quam depositiones testium. Cum autem sibi inuicem repugnent, dubitari potest vtra præsumptio sit fortior, cui altera cedat: de quo agitur *M. I. R. d. regn. 5. except. 27.* Quæ questio ex arbitrio iudicis pendet, ut is, ex qualitate notarij, qui instrumentum conscripsit, & ex personis testiũ æstimet, vtri probationi maior fides sit adhibenda. Quo casu admittenda videtur distinctio, quam *Myns. cent. 4. obs. 39.* proponit.

XIX, Caius petit à Seio viginti thaleros ex causa, quod eos patri Seij defuncto mutuo dederit. Et cum Seius mutuum negaret, Caius produxit testem vnum fide dignum, qui deposuit se vidisse, quod Caius patri Seij viginti thaleros dederit, causam tamen, ex qua dederit, se ignorare. Iudex mutuum satis probatũ esse pronunciat. Ideoque Seium, tanquam heredem patris, Caio in viginti thaleros condemnat. Seius ab hac sententia appellat. Queritur, quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Pro grauamine appellans producit, quòd actor suam actionem non satis probarit, ideoque sententiam, tanquam iniustam, petit retractari. Antecedens ex actis constat: quia actio per vnicum tantum testem probata apparet, qui fidem non meretur, *M. I. R. lib. 2. cap. 13. regu. 37. except. 2. in pr.* Planè si testis ille omni exceptione maior sit, & actor homo fide dignus, potest ei à iudice appellationis in supplementum probationis iusiurandū deferri: quo præstito, sententia dicta potest confirmari per ea, quæ habentur *M. I. R. lib. 2. cap. 16. q. 2. reg. 12.*

XX, Berta, dote accepta, mediante iuramento renunciat hereditati paterna, materna, & fraterna, ita tamen, ut si fratrem contingeret mori sine liberis ipsa sibi ius ab intestato succedendi reseruet. Moritur tandem frater sine liberis, facto tamen testamento, in quo alium heredem instituit. Queritur, an Berta ex d. reservatione hereditatem eius petere possit?

D I S P U T A T I O.

Berta intentionem suam fundat in pacto de succedendo fratri sine liberis defuncto: Quæ intentio, seu actio ipso iure non

non subsistit; Siquidem ex pactis non datur hæreditas. *M. I. R. libr. 4. cap. 1. regu. 10. in pr.* Itaque, nisi alia ratione, quæ & iure subsistat, & causæ præpositæ insit, testamentū fratris infirmare possit; dicendū est, reūm ab eius impetitione esse absolvendū.

XXI, Titius feudum accepit pro se, filiis, filiabus & aliis descendantibus, iusque omnibus deficientibus: pro Caio fratre suo, qui cum eo simul, tamen est inuestitus. Moritur tandem relicta filia, Caius frater defuncti feudum petit, tanquam masculis ex Titio deficientibus. Queritur, quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Caius intentionem suam fundat in iure, quo filiarumque liberi ex pacto speciali non aliter succedunt in feuda, nisi masculis deficientibus: de quo *M. I. F. cap. 4. q. 2. reg. 1. except. 6. repl. 1. duplic. 1.* Se autem solum masculum superesse, & cum Titio fratre simul tamen inuestitum, Sed huic iuri obstat exceptio hæc, nisi masculus, qui superest, non ex eo, qui primo inuestitus est, descendat: hic enim foeminae, quæ ex eo descendit, non præfertur, *d. dupl. 1. tripl. 1.* Quæ exceptio propositæ causæ inest, nec ulla distinctione potest elidī; nam quod

de simultanea inuestitura adducitur, ei responsum est suprà *causa 17*. Itaque dicendum, Caium à filia Titij in feudo, de quo agitur, excludi.

XXII, Nobilis N. in domo sua habuit puellam plebeiam; ex qua aliquot ei nati sunt liberi. Postea amore liberorum contraxit cum ea matrimonium, sed clandestinum, & plures alios liberos ex ea procreauit. Tandem de matrimonio utriusque confessione constat. Queritur, an liberi ex eo matrimonio nati, sint legitimi?

D I S P U T A T I O.

Nuptiæ clandestinæ sunt prohibitæ, *M. I. P. libro 3. c. 14. exc. 1.* Nisi utriusque confessione de his constet, *M. I. P. d. except. 1. repl. 1.* Quæ distinctio propositæ causæ inest: cum tam Nobilis, quam eius coniunx dicantur confessi esse matrimonium in præsentia Parochi & duorum testium ad hoc adhibitorum. Cum itaque matrimonium, quamuis clandestinum, pro legitimo hoc casu habeatur, liberi inde nati nõ possunt esse illegitimi. Quod ad feuda attinet, vtrum in ea liberi naturales per subsequens matrimonium legitimati succedant, in Decisionibus iuris controuersi sententiam meam protuli.

Idem argumentum tractat *Schneffius cent. 1. consilio 1*, quod ob nimiam sui copiam non necessariam huc transcribere piget.

XXIII, Sciens testamento facto reliquit, uxori suae usumfructum omnium bonorum. Postea mortua uxore duxit aliam & decessit. Queritur an huic posteriori uxori legatum debeat?

D I S P U T A T I O.

In hac causa de facto dubitatur, utrum Sciens etiam in altera uxore legatum valere voluerit? Nam quod non de alia uxore ab initio cogitauerit, quam quae testamenti facti tempore uxor eius fuerit, praesumptio est; quae quia ante testatorem decessit, in eius persona legatum irritum factum est, *M. F. R. lib. 4. cap. 9. reg. 14. except. 47.* Itaque posteriori uxori probatio incumbit, quod in eius persona testator legatum repetierit, quo non probato, succumbet.

XXIV, Moritur Sempronius relicta auia materna, & fratre uterino. Queritur an hic frater uterinus cum auia materna Sempronio ab intestato succedat.

DISPUTATIO.

Auia materna intentionem fundatam habet in iure, quo parentes defuncti soli ab intestato liberis succedunt, exclusis fratribus & sororibus defuncto ex vno tantum parente coniunctis : de quo *Novell. 118. §. consequens* : ibi, *Si igitur*, item, ibi : *Si cum ascendentibus*. De huius iuris exceptione controuersia est, si frater vel soror sit ex linea eius parentis, cum qua vult succedere, quod tunc per parentem superstitem non excludatur : vt in casu proposito frater vterinus habet cōmunem auiam maternam cum defuncto, de cuius hæreditate agitur. Hæc exceptio nulla speciali lege reperitur approbata : Ideoque censeo eam non esse admittendam.

Idem argumentum tractat, sed pro fratre vterino *Schwarff. cent. 1. consi. 5. in hac verba* : *Quod frater vterinus tantum simul cum auia materna ad successionem fratris vterini ab intestato defuncti admittendus sit, & pariratione frater consanguineus cum auo paterno ad successionem fratris consanguinei. Licet contra prædictam responsionem fortiter videantur facere text. in §. consequens. Et ponderetur dictio, Solus, in text. posita, quæ est exclu-*

exclusiva, &c. Si igitur defunctus descendentes quidem non relinquat hæredes, pater autem & mater, aut alij parentes, ei supersint, omnibus ex latere cognatis hos præponi sancimus, exceptis solis fratribus ex utroque parente coniunctis defuncto: & ponderetur dictio Solis, in text. posita, quæ est exclusiva, & in §. sequenti ibi, si vero ascendentibus, &c. in Auth. de hæred. ab intestato venien. coll. §. & text. in Authen. defuncto. C. ad Tertull. sumpta ex dicto corpore Authen. d. tit. De hæred. ab intestato venien. & text. in Authen. vt fratrum filij, in prin. ead. coll. Per quæ iura videtur quodammodo inconuincibiliter probari & inferri in præsentis consultatione auiam maternam defuncti in successione eius ab intestato superstiti fratri suo uterino tantum præferendam esse. Vbi enim ius non distinguit, nec nos distinguere debemus: Et lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi. Tamen istis non obstantibus, responsionem suprascriptam arbitror iuris rationi & æquitati magis esse consonam: Pro cuius declaratione sciendum est, quod dicta Authent. Defuncto, & præallegata iura sine dubio habent locum, quando extant pater, mater, auus vel auia, & frater vel soror defuncti ex altero latere tantum, & huiusmodi

*iusmodi fratres vel sorores parentibus non attri-
 uent patri vel matri, auo vel auia, cum quibus
 uolunt concurrere in hereditate defuncti, quod
 scilicet tunc ascendens preferatur eis. Verbi gra-
 tia: Titius moritur ab intestato, relinquens post
 se Caium patrem suum, & Seium fratrem u-
 terinum, & ita ex latere matris tantum. Illi
 fratri uterino tantum, qui nihil attinet patri
 defuncti; pater praefertur. Et e contra si dece-
 dat Titius ab intestato relinquens post se Ber-
 tam matrem suam, & Caium fratrem ex late-
 re patris, qui scilicet nihil attinet Berta matri
 defuncti, mater praefertur ei, & ipse excludi-
 tur. Et idem dicendum & exemplificandum
 est, in uterioribus ascendentibus, quod istis &
 similibus parentes indistincte excludant fratres
 & sorores ex altero tantum latere coniunctos.
 Sed si defunctus relinquat ascendentem, uel et-
 iam ascendentes; & fratres uel sorores ex alte-
 ro latere tantum, qui tamen etiam attinent a-
 scendentibus, sicut attinuit ei defunctus, cum
 quibus uolunt concurrere in hereditate ipsius
 defuncti, uerbi gratia, quantum sufficit ad
 propositum: Berta habuit duos maritos; ex pri-
 mo genuit Ludouicum, ex secundo Tadeum,
 decessit Tadeus relinquens Ludouicum fratrem
 suum uterinum, & matrem suam, cuius filius
 est*

est etiam Ludouicus, qui cum ea concurrere
 vult, &c. Sic in proposito defunctus qui de-
 cessit, de cuius hereditate tractatur, reliquit
 fratrem suum uterinum, & ita ex latere ma-
 tris tantum, & auiam suam maternam, qua est
 etiam auia materna fratris sui uterini supersti-
 tis, & ita frater uterinus attinet ei, quia etiam
 est nepos eius, vel si casus eueniat è contra, in li-
 nea scilicet paterna, &c. an istis casibus etiam
 habent locum dicta iura nouissima Auth. ut sci-
 licet parentes excludant fratres vel sorores ex
 altero latere tantum, ipsis scilicet parentibus,
 cum quibus concurrere volunt, non minus ad-
 tinentibus, quam defunctus: Vel an ipsi admit-
 tentur simul cum parentibus, id est, cum patre,
 matre auo, vel auia etiam eorundem, dubitari
 potest. Et quamuis gloss. in l. l. in verbo Po-
 tiorem, ff. de iuris & facti ignorantia. ve-
 lit, quod parentes in successione liberorum pra-
 ferantur fratribus vel sororibus ex altero latere
 tantum indifferenter per praedicta iura, & Bal.
 in Authent. defuncto, mihi in 2. colum. in
 vers. incipiente iuxta istum versiculum, in
 effectus teneat, istam opinionem per text. in d.
 §. consequens, ibi dum dicit; Pater autem aut
 mater, aut alij parentes omnib. ex latere cogna-
 tis praepouuntur, exceptis solis fratribus ex u-

troque parente coniunctis defuncto, & subiungit: Nota ergo, quod dicitur, Solis, & assignat illius rationem: Quia parentes equiparantur fratribus utrinque coniunctis. Sed utring, coniunctus excludit coniunctum ex altero latere tantum. Ergo & parens. Et idem videtur sentire Bald. in consil. 366. incipiente, Mater quæ transit ad secunda vota. in fine, in 4. parte. Vbi videtur velle quod frater uterinus excludatur à successione intestati per avum maternum: quia avus maternus succedit simul cum fratre utrinque coniuncto secundum communem opinionem. Vnde, sicut frater utrinque cōiunctus excludit fratrem uterinum tantum, ita videtur, quod avus excludat quod æqualis est avus fratri utrinque coniuncto secundum communem opinionem. Et pro corroboratione fatit quod supra adductum est, ex quo præallegata iura noviss. Auth. præferant parentes in successione liberorum generaliter & indistincte fratribus & sororibus ex uno latere tantum. Ergo debet indistincte & generaliter intelligi. Tamen istis & aliis notis obstantibus, de iure contrarium opinionem veriorem & æquioram arbitror, videlicet quod dicta iura novissima Authent. loquantur solum & restringatur ad fratres, & sorores, qui vel quæ

not

non attinent parentibus, cum quibus volunt concurrere in hereditate fratris vel sororis ex uno latere tantum. Sed quando attinent eis, quia scilicet filij vel nepotes eorundem, sicut fuit defunctus, de cuius hereditate agitur, quod tunc huiusmodi fratres & sorores ex uno latere tantum simul cum parentibus admittantur in viriles portiones ad hereditatem defuncti. Et quod ita iura Codicis in illis casibus, ut l. si quis vel si qua, aliàs fin. C. ad Tertull. & in §. sed cum ea. Inst. eod. voluntia & disponentia etiam fratres consanguineos vel uterinos tantum cum parentibus ad successionem defuncti admitti, obtineant locum, & sint incorrecta per iura nouissima Auth. videtur aperte sentire glo. prout etiam Bald. metallegat eam ad hoc in d. Auth. Defuncto, in §. Cum igitur, in verbo Sancitum est. in Authent. de non elig. 2. nub. colla. i. allegans ad hoc d. l. fin. & expresse subiungens, hodie per iura nouiss. Auth. solet esse innouatum, ut sic hodie admittantur in viriles. Hanc partem expresse tenet Paul. de Castro in d. Authent. defuncto. Quia isto casu quando scilicet frater, vel soror superstes est, etiam filius, filia, nepos vel neptis parentis, cum quo vel qua vult succedere in hereditate defuncti, cesset ista ratio, de qua supra, qua scilicet

licet non est de non attinentibus ipsius parentis, cum quo vult admitti, cum sit de attinentibus tanquam, filius vel nepos. Et subdistinguit Paul. de Castro ibi, quod pater non potest imputare illi; Tu non es coniunctus huic filio per patrem: quid enim ad ipsum attinet hoc allegare, cum de coniunctione materna non habeat se impedire, sed de propria, ut idem notat allegans etiam ad hoc d. gloss: in dict. §. cum igitur, addens Bald. ibi tenentem oppositum; cum text ibi precise loquatur. Tamen infert quod bene considerando hoc esset satis extraneum, scilicet parentem fratri vel sorori ex altero latere tantum, qui etiam est eius filius vel nepos, in successione sui præferri. Et quod ratio dicitur, quod text. ibi restringatur ad illam fratrem, qui non attinet patri vel matri, cum quibus vult concurrere. Sed quando attinet, videtur non debere repelli: quia quo iure ipse pater vel mater vult admitti propter solam istam coniunctionem; eodem iure debet secum admittere suum filium proprium propter eandem coniunctionem. Hec ille. Quæ quidem ratio, ut apparet, cessat in fratre superstite, non attinente parenti, cum quo vult concurrere, &c. Et propterea etiam dicit signanter Bald. in d. Authen. defuncto, mihi in 2. colum. in ver-

In verbo, Non ergo, *ibi*: sed videtur hoc esse contra naturalem rationem & æquitatem, scilicet quod in prædictis casibus fratres ex uno latere tantum excludantur à parentibus; allegat ad hoc in argumentum l. 1. C. de edicillis, & l. 1. de imponen. lucrat. descripro. lib. 10. Et pro ista parte etiam adducit pulcherrimam rationem in d. consilio, dicens constare de patre & matre, quod præferantur coniunctis ex uno latere tantum, subiiciens scilicet, quod de aho materno non videatur, quod excludat fratrem uterinum, quia uterque cognationis iure, non adgnationis coniungatur personæ defuncti, & per consequens, avia materna in presentiarum nullo modo videtur excludere posse fratrem superstitem defuncti; cum etiam cognationis iure, & ita mediante ipsamet avia materna ei coniuncta fuerit; &c. Propterea Bald. in d. consilio nihil firmi decidit, sed dicit postquam arguit pro & contra; hunc partum aliter nunc non decido. Nec huic opinioni, quæ mihi videtur omnino verior & æquior; obstant d. iura Authen. & dict. Authen. defuncto. Quia restringunt ad fratres & sorores non attinentes parentibus, cum quibus concurrere volunt in hereditate defuncti. Sed in aliis fratribus & sororibus attinentibus

bito ipſis parentibus, cum quibus concurrere vo-
 lunt, vt ſupra deductum eſt, habent locum iura
 Cod. vt d. l. fi. & d. §. Si cum antea, cum in il-
 lis fratribus & ſororibus ex vno latere tantum,
 ſit eadem ratio vt ſupra oſenſum eſt, ſcilicet, vt
 ſimul admittantur cum parentibus ad ſucceſſio-
 nem defuncti propter unicam ſcilicet coniun-
 ctionem. Et propter quam coniunctionem ad-
 mittitur pater & mater, auus vel auia, propter
 eandem debet etiam admitti frater vel ſoror ex
 vno latere tantum, filius ſcilicet vel nepos pa-
 rentis, cum quo vult concurrere: cum ſit eadem
 coniunctio earundem, qua non eſſet in fratribus
 vel ſororibus ex vno latere tantum, nō aſſinen-
 tibus parentibus, cum quib. concurrere volunt.
 Et leges posteriores diſtinguuntur & limitantur
 ex identitate rationis, vel propter ſuadentem
 equitatem per priores, vel e contra, l. Non eſt
 ratum, cum l. ſeq. ff. d. ll. Et eſt optima gl. qua
 hoc modo intelligitur in l. Non dubium, & ibi
 Bart. in 2. q. & ſequuntur Legiſtā d. ll. Per quā
 patet etiam non obſtare rationes Bal. in contra-
 rium adductas. Quia concedo, quod parentes e-
 quiparentur fratribus utrinque coniunctis ex
 altero latere tantum. Sed ex hoc videtur inepte
 inferri, quod parens excludat indiſtincte & in-
 differenter omnes fratres & ſorores ex altero la-
 tere:

tere: quia non est eadem ratio. Nam frater v-
 tring, defuncto fratri coniunctus fuit, duplici
 vinculo; scilicet ex parte patris & matris con-
 iunctus, & propter istud duplex vinculum ipse
 praefertur fratri ex altero tantum latere. Sed
 quando pater vel mater, avus vel avia succedit
 filio vel nepoti, &c. tunc succedit ei solum pro-
 pter suam coniunctionem, & ex sua linea, ut pa-
 ter ex paterna, & non materna, & mater ex
 materna, & non paterna, sicque in ulterioribus
 ascendentibus, & ita non propter duplex vincu-
 lum. Et ista eadem coniunctio militat in fratre
 ex altero latere tantum, attinente parenti. Et
 ita in filio & nepote eiusdem, cū quo concurrere
 vult, ut patet, per quod etiam apparet sublatam
 esse rationem Bald. contra illam opinionem &
 veram. Ideo optime infert Bal. in d. Auth. De-
 functo, quod sua opinio sit contra rationem &
 naturalem equitatem. Per qua quoque patet re-
 sponso ad rationem Bald. in d. consilio concidit
 causa eadem. Ex quib. breuiter infertur in pra-
 sentiarum aviam maternam & fratrem uteri-
 num defuncti in hereditate eiusdem simul ad-
 mitti debere. Haec tenus verba Schurfij, qui-
 bus conatur exceptionem propositae cau-
 sae approbare: sed nulla speciali lege vititur.
 Nam quod d. l. fin. C. ad Tertull. & §. sed cum

ante. Inst. eod. tit. pro ea confirmanda ad-
ducit, est evidens calumnia: Si quidem de-
l. fin. tum d. §. sed cum antea. loquantur non
 solū de fratre defuncti vterino, sed etiam
 de fratre consanguineo; non solum de fi-
 lio matris succedere volentis, sed etiam de
 priuigno. Itaque prorsus nihil faciunt ad
 propositam quæstionem Ratio, quæ pro
 confirmanda exceptione proposita adfer-
 tur, scilicet quod eadem cognatione fra-
 ter vterinus defuncto fuerit coniunctus,
 qua mater, exceptionem contra supradi-
 ctam *Novell. 118.* introducere nequit: cum
 non ex rationibus, sed ex legibus iura a-
 ctionum & exceptionum sint sumenda, *l.*
1. vers. non ut ex regula ius sumatur. ff. de reg.
juris. Alioquin si ex rationibus iura sume-
 re liceret, nihil certum in iure esse posset:
 cum nihil tam absurdum sit, quod non a-
 liqua ratione possit oriri, vt interim ræ-
 ceam, quod inter ascendētes & transuer-
 sales, quamuis eadem cognatio sit, tamen
 magna sit differentia, quemadmodum et-
 iam inter ascendentes & descendentes
 qui, quamuis eiusdem cognationis sint,
 tamen non pariter defuncto ab intestato
 succedunt.

XXV, Moritur Manius relictis fratre germano & fratre consanguineo, & multis bonis allodialibus ac feudalis. Queritur in successione quid sit iuris?

DISPUTATIO.

Frater germanus intentionem suam fundatam habet in iure, quo frater ex vtroque parente defuncto cognatus in successione præfertur alteri fratri ex vno tantum parente cognato: de quo *M. I. C. lib. 10. cap. 5. reg. 2. except. 3. & M. I. R. lib. 4. cap. 6. reg. 8. except. 1.* Quod ius exceptionem recipit in bonis feudalis, in quibus frater consanguineus cum fratre germano pariter succedit, *M. I. F. cap. 4. q. 2. reg. 4. except. 3.*

XXVI, Cais debitor latitante, creditores in possessionem bonorum eius ex primo decreta mittuntur: moritur postea Cais; & elapso anno mittuntur creditores ex secundo decreto heredibus Cais non citatis. Creditores bona vendunt, emptores in prædiis emptis adificant, contempta operis noni nunciacione ab heredibus Cais facta. Queritur quid iuris?

DISPUTATIO.

Heredes Cais bona ab emptoribus & possessoribus vendicant. Rei opponunt

exceptionem rei venditæ & traditæ. Re-
 plicatur ab hæredibus, quod missio ex se-
 cundo decreto non citatis hæredibus fa-
 cta, nullius sit momēti, & per consequens
 venditionem bonorum non valere. An-
 tecedens probatur per ea, quæ habentur
M. I. R. lib. 5. cap. 11. reg. 20. in princ. Cui re-
 plicationi quid possit opponi, non video.
 Itaq; censeo reis conuentis exceptionem
 rei venditæ & traditæ esse denegandam.
 Sed & aliam exceptionē rei conuenti ob-
 iiciunt, scilicet de sumptibus in ædifican-
 do factis sibi ab actorib. restituendis. Quæ
 exceptio subsistit per ea, quæ habentur *M.*
I. R. lib. 3. cap. 13. reg. 33. in princ. Hac eliditur
 replicatione hac, quod nouum opus illis
 ædificantibus sit nunciatum, qua nuncia-
 tione contempta, ipsi nihilominus ædifi-
 carint: Ideoque ad opus destruendum te-
 neantur per ea, quæ habentur *M. I. R. lib.*
3. cap. 18. reg. 61. in princ. Itaque nec secunda
 exceptio reis prodest. Quare dicendum,
 reos conuentos exceptionibus oppositis
 non obstantibus ad restitutionem bono-
 rum esse condemnandos, saluis credito-
 rum aduersus Caij debitoris hæredes acti-
 onibus.

.. **XXVII**, Scius cum Titio mille aureos in auro mutuo dedisset, stipulatus est ab eo usurarū nomine in singulos annos quinquaginta aureos in auro; quos cum per aliquot annos Titius soluisset, tandem soluit quinquaginta aureos minoris valoris ultra triginta annos. Tandē mortuo Scio heredes ipsius reperta in hereditate cautione Titij, petunt quinquaginta aureos annuos in auro. *Quaritur quid iuris?*

DISPUTATIO.

Heredes Scij intencionem suam fundant in cautione Titij, qua Titius Scio usurarū nomine quinquaginta aureos annuos in auro promisit. Contra quam se Titius defendit longissimi temporis prescriptione, quod ultra triginta annos minoris valoris aureos soluerit. De iure huius exceptionis apud Dd. magna contentio est, & plurimum in ea defendenda laborat *Schurff. cens. 1. consil. 10.* cum tamen tribus legibus, nempe *l. qui semisses. 13. in prin. ff. de usuris. l. Aduersus. 5. & l. quamuis. 8. C. edd. tit. quas M. I. C. lib. 15. cap. 7. q. 2. reg. 6. except. 2. collegi, expresse approbetur. Quibus accedit a. Olim. Extr. de censibus.* Itaque non obstante hac Dd. controuersia censeo Titium à petitione heredum Scij

D 5 esse

esse absoluendum. Idem argumētum tractavit Schurff. *d. cons. 10.* Cuius verba subiiciā vt hoc exemplo intelligat lector quam multis verbis superuacuis & non necessariis in re minime dubia consiliatores, contra morem veterum Iuriconsultorum sepe vtantur. Verba Schurffij hæc sunt: Veritas præsentis consultationis pendet ex eo tantum, An scilicet, quando quis teneatur ex contractu aliquo annuatim solvere. Reliqua legat Lector apud Schurffium ab hoc loco, vique ad finem.

XXVIII, Titius censum annum triginta florenorum emit in pradio Mauij cum pacto de redimendo, & cum Mauius intra triennium censum annum non salueret, Titius in d. pradium immisionem impetrauit ex primo decreto; cumq; per annum etiam Mauius in solutione cessaret, missus est Titius ex secundo decreto, & à iudice eius prædij vendendi impetrauit, sub hac conditione, si Mauius intra tres menses non soluisset. Quibus mensibus elapsis, cum Mauius non soluisset prædium Sempronio plus vendidit, quam Mauius ei debuit, sed minoris vera estimatione. Queritur an mortuo Mauio, hæres eius venditionem oblato debito possit retractare?

D I S P U T A T I O.

Causæ ex quibus debitor, vel eius hæres venditionem retractare possit, enumerantur *M. I. C. lib. 2. cap. 34. quasi. 7. reg. 7. except. 1. cum seqq.* inter quas secundo loco numeratur & hæc, si res minori precio vendita sit: qua hæres Mæuij ad rescindendam venditionem vti potest. Quod si eam de facto probare non potest, nec alia ei causâ ad rescindendam venditionem superpetit, quæ & iure, & facto subsistat, saltem id quod venditor plus ex venditione prædij quam est debitum, & expensas eius causâ factas repetere non prohibetur, *M. I. C. d. q. 7. reg. 4.*

XXIX, Ciuitas N. homines vicini pagi B. prohibuit coquere cervisiam: à qua prohibicione excesserunt decem anni, quibus homines diæti pagi B. cessarunt à cõditione cervisæ. Queritur si postea denuo moliatur coquere cervisiam, an ciuitas N. aduersus eos instituere possit actionem negatoriam, qua eos à coquenda cervisâ prohibere possint?

D I S P U T A T I O.

Quasi possessio seruitutis negatiuæ adquiritur vnica prohibitione; *Geil. libr. 2. obs. 69. num. 15.* Cui prohibitioni si adquire-

uerit aduersarius, per decem annos, quibus nihil in contrarium molitus est, dicitur illa seruitus negatiua præscripta. *Geil. de obs. 69. num. 14.* Accedunt ea, quæ habentur *M. I. R. lib. 3. c. 18. reg. 3. exc. 4. repl. 1.* Cum itaq; dicti homines pagi B. per decem annos adquienerint prohibitioni à ciuitate N. sibi factæ: dicendum ciuitatem N. negatiuam seruitutem non coquendæ ceruiciæ præscripsisse: Ideoque negatoriam actionem vtiliter aduersus eos instituire posse.

XXX, Sempronius feudum adquisiuit pro se & suis heredibus, cui in feudo isto successit filius, & filio mortuo nepos. Cui etiam sine liberis defuncto succedit Mauius, patruus magnus, frater Sempronij. Queritur an Mauius etiam in feudum illud succedat?

D I S P U T A T I O.

Mauius intentionem suam fundatam habet in iure, quo deficientibus descendentibus in feudo paterno, succedit agnatus transversalis proximus: de quo *M. I. F. cap. 4. q. 2. reg. 3. in prin.* Ad hoc feudum, de quo queritur, paternum esse non dubitatur: cum in eo filius primi adquirentis, & filio mortuo nepos successerit, *M. I.*

F. cap.

¶. cap. 2. quest. 4. diuis. 4. in prim. Sed hoc ius, ex quo Mæuius agit, eliditur exceptione hac, Nisi non ex primo adquirēte descendat, *M. I. F. d. reg. 3. except. 7.* Quæ exceptio propositæ causæ inest: Siquidem Mæuius Sempronij primo adquirētis feudum frater est, non ex ipso descendens: & quamuis mediāte filio & nepote Sempronij hæres sit, tamen in materia feudali vocabulum Hæres, tantum accipitur de descendentibus non de transuersalib. hæredibus, *M. I. R. lib. 4. c. 1. reg. 4. exc. 4.* Itaq; dicendum Mæuius successionem in feudū denegandam, illudque domino esse apertum.

XXXI, Cum Caius feudum à Sempronio recognosceret, quod mortuo Caio ad Sempronium erat reuersurum, Sempronius de feudo illo inuestit Mæuium sub hac conditione; si feudum sibi fuerit apertum. Postea Caius feudum illud Mæuius pro certa summa pignori obligat, Sempronio ignorante. Tandem moritur Caius, & Mæuius à Sempronio eius feudi realem inuestituram petit. Quaritur quid iuris?

DISPUTATIO.

Mæuius intentionem suam fundatam habet in iure, quo inuestitura facta de feudo, de quo alius inuestitus est, valet si feudum

rum domino fuerit apertum · de quo *M. I. F. cap. 4 q. i. exc. 20. repl. 3.* At Mævio auctori opponitur exceptio hæc, quod feudum à Caio sine consensu domini sit alienatum. Quæ excep. subsistit per ea, quæ habentur *M. I. F. cap. 5. q. i. causa 37. in prin.* Quæ exceptio propositæ causæ inest, siquidem Cæius dicitur feudum Ignorante Sempronio pignori Mævio obligasse: Sed eliditur replic. hæc, nisi feudum ei sit alienatum, ad quem feudum post mortem vasalli alienantis sit reuersurum: de qua *d. causa 37. exc. 13.* Quæ repl. cum propositæ causæ in sit, nec ulteriori distinctione elidi queat: dicendum Mævio exc. proposita non obstante feudum quod petit esse adiudicandum. Idem argument. tractat *Stehurff. cent. 1. consil. 18. his verbis: Quidam nobilis obtinuit ab illustriss. principibus, &c. cum seqq. quem vide, vsque ad finem consilij.*

XXXII, Titius in electione filia sua facit pacta dotalia, in quibus bona sua inter liberos distribuit, & in ea voluntate vsque ad mortem perseverauit. Queritur an ex ipsis pactis dotalibus actio competat?

D I S P U T A T I O.

Liberis ex istis pactis agentibus videtur obsta-

obstare ius, quo ex pacto hæreditas peti non potest: de quo *M. I. R. lib. 4. cap. 1. reg. 10. in prin.* Sed hoc ius eliditur duplici exceptione hoc casu, quarum prima est; quod pater inter liberos per pactū diuiderit hæreditatem. Quæ exceptio approbatur per ea, quæ habentur *M. I. R. d. lib. 4. cap. 3. replic. gener. 1.* Altera exceptio est, quod pater, de cuius hæreditate agitur, in illo consensu vsque ad mortem perseuerauit: de quo *M. I. R. d. reg. 10. except. 1.* Quæ ambæ exceptiones propositæ causæ insunt, nec quibus replicationibus, quæ ipso iure subsistant, & causæ propositæ insunt, elidi queāt, animaduerto. Itaque respondeo ex dictis pactis dotalibus, liberis Titij actionē denegandam non esse.

XXXIII, Manius feudum, quod à Scio recognoscit, pro filia sua in dotem dedit, donec ipse vixerit, quaritur an alienatio sine consensu domini feudi valeat.

D I S P U T A T I O.

Pendet hæc quæstio ex iure, quo alienatio feudi sine consensu domini non valet: de quo *M. I. F. c. 5. q. 1. causa 37. except. 6.* De cuius exceptione quaritur, si ad vitam vasalli feudum in dotem sit datum. Quæ exce-

exceptio approbatur *c. Nuper, 6. Extr. de do-
nat. int. vir. & uxorem*. Accedit *Schurff. cen-
tur. 1. conf. 23. num. 5. cum seq.* Licet autem sit
controversa hæc exceptio, tamen, cum *d.
cap. Nuper* approbetur, dicendum est, eam
esse admittendam:

*XXXIV, Inter Titium & Seium societas
fuit alicuius negotiationis. Mortuo Titio rece-
ditur ab illa societate, & fit divisio rerum & no-
minum eius societatis, ut Seius retentis nomi-
nibus, liberis Titij singulis annis usurarum no-
mine certam summam pecunie solueret. Qua-
eritur, si nomina, qua Seio ex illa divisione obue-
nerunt soluendo non sint, an Seius nihilominus
liberis Titij summam promissam singulis annis
soluere teneatur?*

DISPUTATIO.

Seius intentionem suam fundat in ius-
te, quo damnnum, quod vnus sociorū pas-
sus est, alter pro sua parte agnoscere & præ-
stare teneatur: de quo *M. I. C. lib. 19. c. 11. q. 2.
causa 3. & M. I. R. lib. 5. cap. 6. reg. 78.* Huic iuri
duæ exceptiones obstant, quibus elidi pos-
sit: Vna est: Nisi socius sua culpâ damnnum
sit passus: de qua agitur *M. I. R. d. causa 3. ex-
cept. 3.* De factò huius exceptionis quæstio
est, an Seius sua culpa damnnum patiatur?

ETIUS

Cuius probatio liberis Titii incumbit. Culpa autem Scii inde probari potest, si contraxit cum iis, quos sciuit, vel scire debuit, soluendo non esse, vel ab iis; cum adhuc soluendo essent, non exegit. Quorum aliquo probato, Scius sua culpa damnnum sentire censetur, ad quod pro parte præstandum liberi Titii non tenentur. Altera exceptio, quia ius Scii eliditur, est quod diuisio rerum communium emptionis vicem obtinet, *l. i. C. communia vtriusq. indicij*. At actione vendita emptoris, non venditoris, periculum est, si debitor soluendo non sit: nisi venditor scierit, illum soluendo non esse, *M. I. C. libr. 18. c. 7. qu. 1. causa 3.* Itaque vel ex hac causa liberis Titii periculum nominum, quæ Scio in diuisione contigerunt, non esse præstandum: cum illi verisimiliter ignorauerint, nomina non esse soluendo. Ex his constat à Scio nihilominus liberis Titii summam promissam singulis annis esse soluendam: nisi alia ratione probetur contractum non subsistere: ut puta, si sit usurarius, &c.

Idem argumentum; sed pro Scio, tra-
ctauit Schurff. *cent. 1. conf. 6. in hæc verba*: Fa-
cta & celebrata est transactio inter tutores

E hæc

hæredū *Hansm Trinck* cum eorum patrū
Martin Trinck qui habuerat & exercuerat
negotiationem communem cum defun-
cto eorum patre fratre eiusdem, vt ipse
post redditam rationem sufficientem ne-
gotiorum communiter gestorum, recipe-
ret partem hæredum, quæ in pecunia nu-
merata, & nominibus debitorum reputa-
batur, & calculabatur vsque ad summam
duodecim millium aureorum, & pro illis,
tanquam certis & exigibilibus dictis tuto-
ribus se obligaret, quemadmodum literæ
contractus declarant. Postea autem illa
nomina pro certis & exigibilibus assigna-
ta, reperta sunt incerta & inexigibilia, ita
quod prædictus Martinus quatuor millia
aureorum, quæ corradî à debitoribus assi-
gnatis non potuerant, minus receperit,
quam promissum sit. Vnde quæritur, vtrū
prædictus Martinus ratione huiusmodi
contractus teneatur hæredibus, vel eorum
tutoribus integram summam, vnà cum
interesse debito & conuento ratione cele-
bratæ transactionis restituere, vel vtrum
possit se tueri in summa non recepta? Et
respondetur, quod sic, vt infra in consilio
patebit. In præsentî consultatione omni-
bus

bus ambagibus, &c. cum sequentibus. vide reliqua ibi vsque ad finem consilii.

XXXV, Scius pradium suum Manio vendidit, cum pacto de eo intra certum tempus redimendo. Post aliquot annos Manio emptori denunciat de pradio certo tempore & loco redimendo: sed adueniente tempore oblatio pretij realis non est secuta. Queritur, si postea rursus denunciaret emptori pretio realiter oblato, an sit audiendus?

D I S P U T A T I O.

Scius intentionem suam fundatam habet in pacto de redimendo contractui apposito: de quo *M. I. R. lib. 6. cap. 2.* Cui à Manio emptore obiicitur exceptio denunciationis semel factæ, & oblationis realis non secutæ. Quæ except. subsistit ex eo, quod is, qui non seruauit contractum, non possit ex eo agere. *M. I. C. lib. 2. c. 41. q. 2. exceptio. 25.* & *M. I. R. lib. 2. c. 23. reg. 1. exceptio. 17.* Hæc exceptio eliditur repl. hac, nisi is, qui contractum non seruauit, postea eum seruare sit paratus: hoc enim casu purgatur prior mora, *M. I. C. de exce. 25. repl. 2.* & *M. I. R. de except. 17. repl. 1.* Quæ replicatio, cum ipso iure subsistat, & causæ propositæ insit, nec vltiori

68 R E S P O N S O R U M I U R I S

distinctione elidi queat, dicendum est, Se-
io actionem non esse denegandam.

XXXVI; Cum Titius Seium in quinquaginta aureos haberet obligatum, nec sium ab eo consequi posset, Magistratum eius loci adit, petens, sibi ius & iustitiam aduersus Seium ministrari: sed frustra. Queritur, an, & qua actione magistratus in officio suo cessans teneatur?

D I S P U T A T I O.

Titio aduersus magistratum loci hoc casu competere actionem in factum, si iudex litem suam fecisse dicatur, apparet ex *l. si quis in scribendo. 29. in fi. C. de pactis.* cuius actionis natura describitur *M. I. C. lib. 1. c. 7. actio. 2. & M. I. R. lib. 1. c. 5. reg. 19. cum seqq.* Ex quibus locis apparet, quod magistratus negligens parti læsæ ad interesse teneatur: item, quod parti læsæ actio etiam aduersus eum, qui magistratum vel iudicem dedit, hoc casu competat, *M. I. R. d. c. 5. reg. 21.* Accedit *Schurff. cent. 1. cons. 40.*

XXXVII, Berta veneno maritum suum occidit; cui occiso succedit filius eius. Queritur, an filio mortuo, Berta, mater eius ab intestato succedat?

D I S P U T A T I O.

Berta intentionem suam fundatam habet in

bet in iure, quo mater defuncto sine liberis filio, ab intestato succedit: de quo *M. I. R. lib. 4. c. 6. reg. 6. in princ.* Cui obstat exceptio hæc, nisi mater patrem filii defuncti occiderit. Quæ exceptio approbatur *l. Lucius Titius, 9. ff. de iure fisc.* & causæ propositæ inest, ut negari non possit, nec, qua replicatione queat elidi, video. Itaque respondeo, Bertæ successionem filii esse denegandam.

XXXVIII, Caius, cum esset adeò senex, ut rebus suis amplius præesse non posset, se suaque bona Ecclesiæ N. obtulit, ut inde haberet alimenta, quoad viueret. Queritur, an bona ipsius ad Ecclesiã translata ab oneribus ciuilibus sint immunia?

DISPUTATIO.

Ecclesiã N. intentionem suam fundatã habet in iure, quo Ecclesiæ cum suis bonis immunes sunt ab oneribus ciuilibus: de quo *M. I. C. lib. 3. cap. 6. q. 8. reg. 2. & M. I. P. lib. 3. cap. 1. reg. 24. item. M. I. R. lib. 3. c. 1. reg. 2.* De cuius exceptione dubitatur, si laicorum bona ad Ecclesiã peruenerint: quod illa non sint immunia. Quæ exceptio præsumitur ex eo, quod alienatione facta res cum suo onere transeat in eum, cui facta est alienatio. *M. I. C. lib. 7. c. 3. q. 4. reg. 1. & lib.*

18. cap. 1. q. 4. reg. 3. Huic præsumptioni videtur in casu proposito obstare, quod res Ecclesiastica, quæ est immunis, si ad laicum transeat, desinat esse immunis, *M. I. R. lib. 3. cap. 1. reg. 2. except. 4.* Ergò à contrario videtur dicendum, si res laici ad Ecclesiam transeat, quod incipiat esse immunis ab oneribus ciuilibus. Sed antecedens fauore publicæ vtilitatis receptum est, quæ vtilitas publica in consequenti cessat. Ideoque manet adhuc firma præsumptio pro exceptione proposita. Itaque dicendum eam, quamuis controuersam, esse admittendã.

Idem argumentum, sed in contrarium, tractauit *Schurff. cent. 1. cons. 44. n. 7. cum seq.* his verbis: Etsi bona Ecclesiarum & Clericorum sunt immunia ab oneribus ciuilibus, tamen hoc est intelligendum cum limitatione, nisi scilicet huiusmodi bona Ecclesiæ & Clericorum, antequam eorum dominio subiicerentur, essent obligata ad huiusmodi tributa, & certas qualdam, &c. cum sequentibus, vide apud eundem. nu. 14. exclusiue

XXXIX, *Cum Titius Sempronio, eiusque filiis, iisque deficientibus eius filiabus prædium N. in feudum concessisset, moritur relicto Seio*

impu-

impubere filio. Tandem etiam moritur Sempronius vafallus, relicto filio Mauio, & duabus filiabus, Anna & Dorothea. Mauius pro se & duabus suis fororibus recognoscit feudum ab impubere Seio, estq; cum illis inuestitus abufine. Moritur demiq; Mauius sine liberis, relictis duabus suis fororibus, qua petunt à Seio nunc pubere factò feudi inuestituram, quam eis Seius donegat. Queritur, quid iuris?

DISPUTATIO.

Anna & Dorothea forores, filia Sempronii, intentionem suam fundant in pacto, quo pater illarum de feudo inuestitus est pro se, & filiis, iisq; deficientibus, pro filiabus: quod pactum approbatur per ea, quæ habentur *M. I. F. ca. 4. q. 2. reg. 1. excep. 6. repl. 1.* Hoc autem casu nullus filius amplius ex Sempronio extat. Ergo, &c. Inter huius iuris exceptiones numeratur & hæc, nisi filia per masculum semel fuerit exclusa: hoc enim casu etiam deficientibus postea filiis, semper manet exclusa: *M. I. F. d. repl. 1. dupl. 3.* Quæ exceptio propositæ causæ inest: siquidem actrices semel per fratrem suum Mæuium à feudo fuerunt exclusæ. Hanc exceptionem actrices elidunt replicatione hac: Quod semel per fratrem suum

exclusa, denuo à domino fuerint cum fratre inuestitæ. De qua replicatione exactis constat, & de iure eius non dubitatur. Ad quam replicationem elidendam dominus vititur duplicatione hac; quod eo tempore quo Mæuium cum duabus suis sororibus inuestiuit, fuerit minor quatuordecim annis & adhuc sub tutela. Ideoq; illam inuestituram nullius esse momenti. Quæ duplicatio de facto subsistit. Sed de iure eius dubitatur, an scilicet impubes potuerit facere inuestituram abusuam liberis vasalli defuncti? In qua quæstione causa consistit. Præsumptio autem est pro parte negativa: cum impubes de bonis suis nihil possit alienare, nec quidquam gerere, quo conditionem suam faciat deteriore, per ea, quæ habentur *M.I.C. lib. 15. cap. 2. except. 1.* Cui præsumptioni quid obstet, non video. Ideoq; censeo hac duplicatione replicationem elisam, & per consequens, dominum à petitione sororum esse absolendum.

Idem argumentū tractat copiosius suo more *Schurff. cent. 1. cons. 44. his verbis.* Diligenter vita & pensitata facti narratione, videtur prima fronte dicendum, quod illustis,

lustris, &c. cum seqq. quæ lector ibi videat, usque ad finem consilii.

Haftenus Schurffius, quibus addendum cenfeo, quod alia etiam sit replicatio, quæ d. exceptio elidatur, scilicet, nisi filia semel exclusa successerit ei à quo fuit exclusa. Quæ replicatio approbatur *M.I.F. d. dupl. 3. trip. 4.* & propositæ causæ inest, siquidem actrices successerunt fratri suo Mævio, à quo fuerunt exclusæ. Quæ replicatio de iure non est satis certa; siquidem speciali lege destituitur. Ideoque non magnopere est attendenda.

XL, Titius feudum suum N. vendit Sempronio cum domini consensu. Mortuo eo filius eius Manius cum sit heres patris, non potest alienationem illam reuocare. Quæritur, an vivente Mævio alij adgnati ad reuocandum feudum alienatum, pretio non oblato, admittantur?

D I S P U T A T I O.

Adgnati transversales intentionem suam fundatam habent in iure, quo feudo cum consensu domini alienato, adgnatis non consentientibus, permittitur reuocatio feudi alienati etiam pretio non oblato; de quo *M.I.F. c. 5. q. 1. causa 37. except. 25. rep. 1.* Quod ius eliditur exceptione hac, nisi ac

alienans filios reliquerit: his enim existentibus, adgnati transfuersales ad feudi successionem non admittuntur, &, per consequens, nec ad feudi reuocationem, *M.I.F. cap.4.g.2.reg.3.excep.5.* Quæ exceptio eliditur replicatione hac, nisi filia ad reuocationem feudi non admittantur, vel reuocantes per exceptionem repellantur: tunc enim adgnatis transfuersalibus non obstant, *M.I.C.lib.10.c.6.excep.1.repl.13.* Quæ replicatio propositæ causæ inest: cum filius alienantis vasalli hæres existens, alienationem reuocare non possit, *M.I.F.d.repl.1.dupl.1F.* nisi feudum sit ex pacto & prouidentia: hæc enim etiam hæres vasalli alienantis reuocare potest per ea, quæ habentur, *M.I.F.d.dupl.11.distinct.2.* Quo casu quæstio est, an feudum de quo quæritur, sit ex pacto & prouidentia? Quod quidem in dubio præsumitur, quanquam hæc præsumtio est controuersa, *M.I.F.c.3.g.3.reg.14.* Vbi additur, eam in Cameræ iudicio approbari. Itaq; secundum hanc distinctionem dicendum videtur, adgnatos transfuersales, viuente Mæuio filio, alienantis ad reuocationem feudi admittendos non esse. Cui accedit etiam *Schurff. cent.1.conf.47.nu.10.* his verbis:

verbis: *Licet à tempore alienationis non sit elapsum adhuc tempus 30. annorum, &c. cum seq. Reliqua ibi videat lector usque ad ver. Et sic constat, Marcum P.*

XLI, Cum inter Seium & Sempronium hereditas esset communis, inter eos conuenit, ut Seius, tanquam natu maior, hereditatem diuideret, ac Sempronius, tanquam minor natu eligeret. Antequam autem Seius diuideret, decessit relictis duobus filiis, Sempronio aetate minoribus. Queritur, an filiis Seij onus diuidendæ hereditatis incumbat, & Sempronio ex pacto ius eligendi competat?

DISPUTATIO.

Sempronius intentionem suam fundit in contractu cum fratre Seio inito, ut quædam admodum Seio incubuit onus diuidendæ hereditatis; sic etiam nunc eo mortuo incumbat ipsius filiis, tanquam hæredibus, quo sibi electio sit libera. Huic actioni obiicitur à reis exceptio hæc, quod pactum personale ad hæredes non transeat, *M. I. C. lib. 15. cap. 17. reg. 1. except. 3.* At pactum diuidendæ hereditatis esse personale, quod cum persona Seii expirauerit, inde patet, quod causa istius pacti fuerit, quia Seius fuerit maior aetate, Sempronius aetate mi-

nor:

nor: quæ causa in hæredibus Seii cessat. Id-
 eoq; dicendum, ipsum pactum cum Scio
 expirasse. Idem argumentū tractat *Schurff.*
centur. 1. conf. 49. his verbis: *Facta est transa-*
ctio inter fratres, &c. cum sequentibus usque
ad finem consilii, ad quæ lectorem re-
mitto.

XLII, Mæuius, cum pro sorore sua Titio,
marito eius, ducentos aureos in dotem promis-
set, iussu Titij totidem aureos soluit Sempronio,
cui Titius eos debebat, & à Titio ratione dotis
promissæ, & solutæ apocham accepit Mortuo Ti-
tio ab eius hæredibus ducentos aureos exigit,
quasi pro Titio in solutum Sempronio datos.
Queritur, quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Mæuius intentionem suam fundat in
 mandato Titij, quo ducentos aureos Sē-
 pronio pro Titio soluit. De facto constat,
 nec de iure eius dubitatur, scil. de mandati
 actione, *M. I. C. lib. 19 c. 14. q. 1. causa. 7. & M. I.*
R. lib. 5. c. 9. reg. 8. in princ. Opponitur exce-
 ptio à reis, si non totidem aureos, quot a-
 ctor petit, defuncto Titio ex causa dotis
 debuisset. At totidem aureos illi debuit.
 Ergo admittenda est compensatio. Hanc
 exceptionem elidit actor replicatione so-
 lutionis,

lutionis, quod summam ex causa dotis debitam Titio soluerit, cuius solutionis probandæ causa producit apocham Titii: Quæ replicatio, cum ipso iure & facto subsistat, & negari non possit: duplicando à re is distinguitur, solutionem, de qua apocha Titii caret, eandem fuisse, quæ facta fuerit Sempronio. Assumptum ab actore negatur. Causa in facto duplicationis consistit, utrum solutio Sempronio facta, & ea, cuius Titius in apocha sua meminit eadem, in alia fuerit? Et huius probatio utri incumbat, queritur. Præsumptio autem est, quod eadem, non alia, fuerit, exemplo summæ sæpius promissæ: hæc enim eadē, non alia esse præsumitur, *M. I. C. lib. 16. cap. 6. seg. 6.* Itaque dicendum, quod, nisi Mauius actor probauerit, se præter ducentos aureos, quos Sempronio pro Titio soluerit, etiam ipsi Titio alios ducentos aureos soluisse, rei sint absoluendi.

XLIII, Cum pater Mauij agrum Scio pro centum pignori dedisset, Mauius agrum redempturus, Scio centum florenos offert. At, cum Scius pignus negaret, produciuntur contra eum testes, qui Scio agrum pro centum pignori datum esse testantur. Fertur sententia contra Scium,
qua

quæreceptis centum florenis oblati ad agrum à
 Etori restituendam condemnatur. Scius conde-
 mnatus profert instrumentum pignoris in quo
 continentur centum aurci in auro pro quibus a-
 ger fuerit pignori datus. Itaq; non, nisi centum
 aureis in auro solutis, agrum restituere vult.
 Queritur, quid iuris?

DISPUTATIO.

Scius intentionem suam fundatam ha-
 bet in iure, quo creditor non nisi in solidū
 soluto debito, pignus restituere tenetur: de
 quo, *M. I. C. lib. 17. c. 12. causa 1. except. 4. in pr.*
 Cui à Mæuio actore duplex opponitur ex-
 ceptio. Vna est, quod Scius ab initio nega-
 uerit pignus, & de mendacio fuerit conui-
 ctus: quo casu exceptio particularis solu-
 tionis illi videtur deneganda per ea, quæ
 habentur, *M. I. R. lib. 5. c. 11. reg. 4. rep. 3.* Ex quo
 tamen loco apparet, exceptionem hanc ef-
 se controuersam, nisi in casibus specialiter
 à iure approbatis: Ideoque exceptio hæc
 non est attendenda. Altera exceptio con-
 tra ius à Scio propositum est, quod post
 rem iudicatam exceptio amplius non pos-
 sit opponi. Quæ exceptio approbatur, *M.*
I. R. lib. 2. cap. 18. reg. 5. except. 44. & dict. reg.
4. repl.

4. repl. 5. & ipso iure subsistit, & causæ propositæ inest: nec, qua distinctione elidiqueat, animaduerto. Itaque censeo, in causa proposita contra Seium esse respondendum.

XLIV, Cum iure consuetudinis bona in priori matrimonio quasita, liberis prioris matrimonii solis deberentur, decessit Arethusa ex prioro matrimonio relicto filio Titio, & ex posteriori, relicto Seio. Titius ignarus istius consuetudinis, diuisit cum fratre Seio uterino bona à matre in priori matrimonio adquisita. Queritur, errore postea comperto, qua actione, & quasenus Titio consulatur?

D I S P U T A T I O.

Titio ad partem Seio ex diuisione attributam competit condictio indebiti, l. *Cum putarem, 36. in fin. ff. familia erciscunda*. Quæ describitur, *M. I. C. lib. 15. c. 7. causa 2. cum cap. seq. & M. I. R. lib. 5. cap. 13. reg. 49*. Inter cuius exceptiones numeratur & hæc, nisi ius ignorans indebitum soluerit, *M. I. C. dict. lib. 15. cap. 8. exception. 27. & M. I. R. dict. reg. 49. except. 2*. Quæ exceptio propositæ causæ inest: cum consuetudo vim iuris habeat. Verum eliditur replicatione hac, nisi debitum

bitum ciuile tantum per errorem sit solutum : hoc enim repeti potest exceptione proposita non obstante, *M. I. R. d. except. 2. repl. 1.* Quæ replicatio propositæ causæ incit: siquidem pars hæreditatis maternæ Seio attributa debetur Titio ex consuetudine, non iure naturali. Itaque dicendum, Titio conditionem indebiti, exceptione opposita non obstante, concedendam esse. Planè, si Arethusa nulla alia bona reliquit, quam in priori matrimonio aduicta, legitima saltem in iis bonis Seio debetur: hæc enim, cum iure naturali debeatur liberis, iure ciuili, statuto, vel consuetudine illis non potest auferri, *M. I. R. lib. 4. cap. 8. reg. 24. except. 15.* Itaque salua legitima, Seius ad reliquum, quod ex diuisione percepit, Titio actori restituendum potest condemnari:

XLV, Seius, cum esset institor Mæuij, acceptis à Sempronio mercibus, & Mæuio transmissis, Sempronio ita cauit: Nomine Mæuij, domini mei, accepti à Sempronio merces precio trecentorum aureorum, quam summam à domino meo in nundinis Francofurtensibus proximis Sempronio exigere licet. Queritur, Mæuio defuncto, & bonis eius
à cre-

à creditoribus venditis, an Sempronius Seium de d. summa sibi soluenda conuenire possit?

DISPUTATIO.

Sempronius contra Seium institorem intentionem fundatam habet in iure, quo is, qui cum institore contraxit, non solum aduersus dominum, sed etiam aduersus institorem habet actionem: de quo, *M. I. C. lib. 21. c. 8. q. 10. reg. 1.* Cuius exceptio est, nisi institor in contractu & cautione adiecerit nomen eius, cuius causa contrahit, cuiusq; officium sit finitum: tunc enim aduersus institorem actio denegatur, *M. I. C. d. reg. 1. except. 1. Decius cons. 110. num. 4. cum sua glossa.* Quæ exceptio propositæ causæ inest: Itaq; secundum eam Seius ab actione instituta est absoluentis.

XLVI; Cum Titio à Maudio mandatum esset, ut sibi aliquot modios frumenti emeret, ac transmitteret, is mortuo Maudio, cum id ignoraret frumentum emit ac transmisit. Postea ab hæredibus Maudio precium frumenti, quod expendit. exegit. Queritur, quid iuris?

DISPUTATIO.

Titius intentionem suam fundatam habet in mandati actione contraria: de qua, *M. I. C. libr. 19. c. 14. q. 1. cas. 7.* Cuius ex-

F

ceptio

ceptio est, nisi mortuo mandatore mandatararius mandatum fuerit executus, tunc enim actio illi denegatur; cū mandatum morte mandatoris solvatur, *M. I. C. d. lib. 19. c. 12. q. 3. exc. 18.* quæ exceptio propositæ causæ inest. Verum eliditur replicatione hac: nisi mandatararius ignorans mandatorem decessisse, mandatum fuerit executus, *M. I. C. d. exc. 18. rep. 2.* quæ & ipsa replicatio propositæ causæ inest, nec, qua distinctione elidi queat, animaduerto. Itaq; respondeo, hæredes conuentos actori Titio ad pretium, quod expendit, soluendum, esse condemnandos.

XLVII, Petrus à piscatoribus in mari piscantibus iactum retis erit, & pretium statim numerauit. Post multam piscationem nihil piscium, sed aurea massa est extracta, quam Petrus sibi deberi ait, piscatores autem negant. Quæritur, quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Petrus intentionem suam fundatam habet in iure, quo periculum & commodum rei venditæ etiam ante rem traditam ad emptorem pertinet: de quo *M. I. C. lib. 81. c. 2.* Negari autem non potest, quod periculum hoc casu fuerit emptoris, vt, et si

nihil

nihil extractum fuisset, pretium tamen ab eo fuerit soluendum, *l. Nec emptio, 8. §. Aliquando, ff. de contr. empt. l. Ex empto, 11. §. si. v. veluti cum futurum, ff. de act. empti.* Ergo & commodum emtoris, non venditoris esse debet. Quod ius, qua exceptione possit elidi, non video, nisi ex parte rerum obii-
 tiatur, quod de piscib. non de alia re sit actum vel cogitatum. Sed hoc actor negat, dicens de iactu retis, non de piscib. actum, & spem, alcamq; emptam esse, vel quidquid caperetur. Cumq; non solum pisces, sed etiam aliæ res piscando sæpè è mari extrahantur: contra venditores interpretatio facienda, in quorum potestate fuit re-integra apertius dicere, *l. Labeo. 21. ff. de cõtr. empt.* Itaque dicendum, auream massam extractam ad Petrum emptorem, cuius fuit iactus periculum, pertinere.

XLVIII., Marius Sergio ædes suas, quas ab eodem ipse paucis antè annis emerat, vendidit. Hæc cuidam alijs seruiabant, quod Marius in venditione reticuit. Inde Sergius actionem empti de eò, quod sua interest, aduersus Marium instituit. Queritur, quid iuris?

D I S P U T A T I O

Sergius intentionẽ suam fundat in iurẽ

quo venditor emptori tenetur, si seruitutem, quam domus vendita debet, in venditione non indicauit: de quo, *M. I. C. lib. 18. cap. 10. q. 1. caus. 5. cum seq.* Inter cuius exceptio. numeratur & hæc nisi emptor seruitutem, de qua agitur, sciuerit. Quæ exceptio approbatur, *M. I. C. d. q. 1. except. gen. 2. & causæ propositæ inest*: siquidem Sergius ædiũ emparum, quas paucis ante annis Mario vendiderat, seruitutem sciuisse præsumitur. Quæ exceptio qua repl. clidi possit, nõ video. Ideoque censeo Marium ab instituta actione esse absoluiendum.

XLIX, Clodius habens duas filias, Annam & Bertam, Annam testamento heredem instituit, Bertam quod turpiter vixerit exheredauit. Mortuo Clodio, Anna ex testamento hereditatem adiit, Berta de inofficioso patris testamento egit & obtinuit. Queritur, utrum ex asse, an pro dimidia tantum parte Berta ab intestato heres sit?

D I S P U T A T I O.

Anna intentionem suam fundat in iure, quo per inofficiosi querelam rescisso testamento testatori ab intestato succedatur: de quo, *M. I. C. lib. 11. c. 6. q. 8. reg. 1.* Se autem ab intestato æquè ac sororem suam

Ber-

Bertam heredem esse. Cui à reo obiicitur, exceptio hæc, quod qui ex testamento adiit hæreditatem, videatur eam ab intestato repudiasse, *M. I. R. lib. 4. c. 6. reg. 14. except. gen. 5.* Quæ exceptio propositæ causæ inest. Verùm eliditur repl. hac, nisi iusto errore ductus aliud remedium quod sibi putabat competere, pro alio elegerit, *M. I. C. lib. 20. c. 9. exceptio. 14. rep. 2. & except. 15.* quæ etiam repl. propositæ causæ inest: Sed ad eam elidendam rea Berta duplicando proponit, quod iuris ignorantia neminem excuset, *M. I. C. lib. 24. c. 3. q. 1. exceptio. 1.* At qui putat testamentum, in quo filius, vel filia iniuste exhæredatus, vel exhæredata est, iustum esse, haud dubiè in iure errat. Quæ duplicatio in hoc casu, de quo quæritur, expresse reprobatur, *M. I. C. lib. 11. c. 6. q. 8. reg. 3. except. 2.* Cuius ratio est, quod testamentum ob exhæredationem iniustum mero iure valet, nisi intra quinquennium per inofficiosi querelam rescindi petatur, *M. I. C. d. c. 6. q. 6. reg. 1.* Itaque actrix adeundo ex testamento patris non tam in iure erravit, quam in facto, ignorans, sororem intra quinquennium de inofficioso testamento acturam. Quare dicendum, Bertam non, nisi pro parte di-

media patris ab intestato hæredem esse, ex altera parte sororem eius Annam.

L. Valerius Nepos testamento factō Zenonem hæredem instituit, aliisque legata reliquit. Postea hæredis nomen induxit. Queritur, an nihilominus legata debeantur?

D I S P U T A T I O.

Legatarii intentionem suam fundatã habent in testamento Valerii. Cui opponitur ab hæredibus ab intestato venientibus, quod hæredis nomen in testamento sit inductum. Ergo nec legata ex eo testamento peti posse. Hæc exceptio eliditur replicatione hac, quod quamvis quædam in testamento sint inducta, nihilominus tamen ea, quæ inducta non sunt debeantur, *M. I. C. lib. 9. cap. 9. exception. 73. replicat. 5.*

Quæ replicatio videtur elidi posse in casu proposito, quo hæredis nomen inductum est: per hoc enim omnia alia, quæ in testamento relicta sunt, irrita censeantur effecta. Quod negatur ab actoribus. Lis oritur de iure duplicationis, an hæredis nomine inducto totum testamentum irritum censeatur? Cuius probatio ipsis reis incumbit. Ad quam probationem non videntur speciali aliqua lege, sed regula iuris

his hac, quod principali sublato, tollatur etiam accessorium. Institutionem hæredis esse principale testamenti, sine qua testamentum non valet, *M.I.C. lib. 9 cap. 10. in princip.* Ergo institutione sublata nec legata ex eo testamento peti posse. At contrarium speciali lege probatur, *M.I.C. lib. 12. c. 6. except. 87. repl. 5.* Nec dicendum hoc casu, antinomiam iuris esse: cum regulæ iuris cedant legibus specialibus & ex istis regulis ius non sumatur, ut alibi ostendi. Itaque dicendum duplicationem propositam, tanquam de iure non satis probatam, imo reprobata, non esse admittendam, sed secundum actionem propositam, pro legatariis respondendum: cum etiam sine testamento legata ab intestato relicta valeant, *M.I.R. lib. 4 cap. 5. reg. 30. in prin.*

L. I. Sempronius cum Caius filius eius, quem heredem instituerat, in bello falso periisse nunciaretur, testamentum suum mutavit, & Manium extraneum heredem instituit, aliisque legata reliquit, atque mox decessit. Caius filius testatoris reuersus hereditatem patris ex priore testamento petit. Quæritur, quid iuris?

DISPUTATIO.

Caius intentionē suam fundatā habet

in testamento patris priore, in quo hæres institutus est Mæuius exceptionem obiicit ex testamento posteriore, quo prius sit ruptum, *M. I. C. lib. 9. c. 19. except. 33.* Inter cuius exceptionis replicationes numeratur & hæc, nisi testator priori testamento hæredem scriptum falso putauerit esse mortuum, *M. I. C. d. except. 33. repl. 11.* Quæ replicatio propositæ causæ inest. Itaque negari nō potest, sed nec duplicando elidi. Itaque pro Caio actore est respondendum.

LII. *Retento casu precedente questio est, de legatis in testamento posteriori aliis relictis, an ea nihilominus debeantur?*

D I S P U T A T I O.

Legatarii intentionem suam fundatam habent in lege 12. Tabularum, de qua, *M. I. C. lib. 12. cap. 3. in princ.* Cui obiicitur exceptio hæc, quod testamentum, in quo legata relictæ sunt, sit iniustum, in quo filius sit præteritus. Quæ exceptio approbatur, *M. I. C. lib. 17. cap. 6. except. 86.* Hæc exceptio eliditur replicatione hac, nisi pater falso putans filium decessisse, illum præterierit, *M. I. C. d. repl. 11. & d. except. 86. repl. 7. & d. c. 6. excep. 88. repl. 1.* Quæ replicatio propositæ causæ inest, ut negari non possit, nec qua duplicatione

ratione elidi queat, video: itaque pro legatariis respondendum esse censeo.

LIII. *Publius Malleolus, quod matrem occidisset, de parricidio damnatus, testamento facto Manium heredem instituit: Seius frater Malleoli hereditatem eius, tanquam heres ab intestato, occupat: contra quem Manius ex testamento hereditatem petit. Quaritur, quid iuris?*

DISPUTATIO.

Mænius intentionem suam fundat in testamento Malleoli, à quo se heredem institutum esse ait. Quæ actu ipso iure subsistit, de quo, *M. I. R. lib. 4. cap. 2. reg. 21. in princ.* & de facto eius constat. Sed obiicitur exceptio hæc quod publico iudicio damnatus, testamentum facere non possit: de quo, *M. I. R. d. reg. 21. except. 9.* Quæ exceptio itidem de iure & facto constat: verum replicando eliditur, quod exceptio ista hodie non sit in usu. Cuius maior propositio subsistit per ea, quæ habentur, *M. I. R. lib. 1. cap. 2. except. 16. in princ.* De minore seu de facto replicationis dubitatur, an scilicet. exceptionis propositæ ius non amplius sit in usu, vel consuetudine sit mutatum? Cuius probatio auctori, tanquam suæ replic. incumbit. Ad quam mutationem probandam adducit

Vasq. lib. 1. illustr. controuers. cap. 10. num. 15. & lib. 3. cap. 96. num. 4. Quæritur an per vnicum Doct. consuetudo satis sit probata? Et controuertitur hoc, M. I. R. lib. 2. c. 11. in verbo consuetudo probatur. Itaq; nisi etiam aliis argumentis actor suam replicationẽ probet, vel iudici de ea, vt iudici, constet, contra actorem est respondendum.

LIV. M. Curius à Coponio heres institutus est, his verbis: Si mihi post mortem meam in decem mensibus proximus filius natus erit, is mihi heres esto. Quod si is antequam in tutelam suam venerit moriatur, tunc in locum, partemve eius M. Curius heres esto. Cum posthumus natus non esset, Curius substitutus hereditatem ex testamento Coponij petit. Quæritur, quid iuris?

DISPUTATIO.

M. Curius actor intentionem suam fundat in testamento Coponii, à quo hæres posthumus substitutus est. Quæ actio cum ipso iure, & facto ita subsistat, vt negari nõ possit, exceptione hac eliditur, si conditio substitutionis extitisset. At substitutio facta est sub hac conditione, si filius natus, antequam in suam tutelam venisset, mortuus

tuus fuisset. Quæ conditio defecit : cum filius natus non sit. Ergo ipsam substitutionem defecisse: & per consequens ex eo actionem competere non posse, *M. I. R. lib. 4 cap. 2. reg. 21. except. 79. in princ.* Huic exceptioni opponitur replicatio hæc, quod in testamentis potius ad voluntatem testatoris, quam ad verba sit respiciendum. *M. I. C. lib. 13. cap. 9. reg. 8. & M. I. R. d. except. 79. rept. 1.* At hoc casu præsumitur testatorem voluisse eum, quem posthumo nato, eoque ante pubertatem mortuo hæredem instituerit, etiam non nato posthumo hæredem esse. In hac præsumpta voluntate causa consistit, eiusque probatio auctori, tanquam affirmanti, incumbit. Probatur autem communi *Dd.* sententia per ea, quæ allegata sunt, *M. I. R. d. libr. 54. cap. 10. reg. 42. except. 11.* Itaque propter hanc præsumptionem voluntatis testatoris auctori alia probatio necessaria non est per ea, quæ habentur, *M. I. R. lib. 2. cap. 10. reg. 7. in princ.* Quare nisi aduersarius cōtrarium probauerit, secundum actorem in causa proposita est respondendum.

LV. Titius habens filium impuberem Caiū, & filiam Dorotheam, eos hæredes instituit,

Et filij fideicommissit, ut si, antequam ad vicesimum annum peruenisset, moreretur, portionem suam hereditatis sorori sua Dorothea restitueret. Filius, cum impleuisset decimum nonum annum, et vicesimum esset ingressus, mortuus est relicto filio Mauius: a quo, tanquam herede patris, Dorothea portionem hereditatis paterna petiit. Queritur, quid iuris?

DISPUTATIO.

Dorothea intentionem suam fundat in fideicommissio patris de dimidia hereditatis parte à fratre Caio sibi restituenda. Ex parte Mauii excipitur, conditionem fideicommissi defecisse. Sub hac enim conditione Dorotheæ fideicommissum esse relictum, si Caius, frater ipsius, moreretur antequam ad vicesimum annum peruenisset. Caium autem mortuum esse, cum annum vicesimum esset ingressus. Repliendo dicitur aliud esse vicesimum annū ingredi, aliud ad vicesimum annum peruenisse. Cum ad annum vicesimum peruenisse quis non censeatur, nisi vicesimo anno impleto. Quod ex parte rei negatur. Causa in hoc consistit, an ad vicesimum annum peruenisse quis non censeatur, nisi vicesimo anno impleto? Cuius probatio, tan-

tanquam suę replicationis, incumbit atri-
ci. Et extant de hac re leges contrarię, *M. I. C. lib. 13. cap. 7. reg. 12. except. 2.* Sed pro parte
negatiua est communior opinio, *M. I. R. lib. 4. cap. 10. reg. 48. cum seq.* vnde exceptio hæc
parum ipsi reo prodest, Sunt autem alię
duę exceptiones in causa proposita, quib.
Mauus reus defenditur: Vna, quod, si legi-
timę filii graua men sit adiectum, hoc est,
legitima reiiciatur per ea, quę habentur,
*M. I. R. lib. 4. cap. 8. reg. 24. except. 21. repl. s. in
fine.* Altera, quod, si filius testatoris, qui fi-
deicommissio grauatus est, liberos sit na-
ctus; fideicommissum euanescat per ea,
quę habentur, *M. I. R. d. lib. 4. cap. 2. except. 16.*
Secundum quas except. reus ab instituta
actione est absoluendus; & his rationibus
pötest reconciliari antinomia, quę habe-
tur, *M. I. C. d. except. 2.*

LVI. *Caius, qui feudum acceperat pro se,
filiis & filiabus ex corpore suo descendens,
moritur relicto Mauio ex filia nepote. Dominus
feudum repetit tanquam sibi apertum, cum va-
sallus nec filios, nec filias reliquerit. Quæritur,
quid iuris?*

D I S P U T A T I O.

Dominus intentionem suam fundat in

iu-

iure quo feudum domino aperitur, si va-
 fallus sine hæredibus masculis decesserit:
 de quo, *M.I.F. cap. 4. quest. 2. reg. 1. except. 8.*
 & *cap. 5. question. 1. causa 38.* Cui actioni ob-
 stat exceptio hæc, nisi quis feudum acce-
 perit pro se & filiabus ex corpore suo de-
 scendentibus: hac enim inuestitura etiam
 nepos ex filia continetur, *M.I.F. dict. exce-
 ption. 8. replicat. 1.* Quæ exceptio cum ipso
 iure subsistat, & causæ propositæ insit, nec
 aliqua replicatione possit elidi, dicendum
 est, domino in casu proposito actionem
 esse denegandam.

*LVII. Publius Aurelius conqueritur mo-
 le via publica, ductisque aquarum ades suas esse
 labefactatas. Queritur, cum de damno infecto
 illi non sit cautum, quo iuris remedio illi suc-
 curratur?*

D I S P U T A T I O.

Publius Aurelius nullam hoc casu a-
 ctionē habet, sed Principis vel præsidis offi-
 cium ei implorandū est, vt damnum ex pu-
 blico sarciat, *M.I.C. lib. 8. c. 28. q. 11. reg. 5.*

*LVIII. Mauus à Titio heres institutus, ro-
 gatus fuit, post mortem suam Sempronio here-
 ditatem restituere. Mortuo Titio bona Mauij
 hæredis sunt publicata. Sempronius heredita-
 tem*

*item Titii à fisco viuento adhuc Mænio petit.
Quæritur, quid iuris?*

D I S P U T A T I O.

Sempronius intentionem suam fundatam habet in fideicommissio sibi à Mænio in testamento Titii relicto. Quæ actio cum ipso iure & facto subsistat, eliditur exceptione hac, quod cõditio fideicommissi, nondum extiterit. Non enim nisi mortuo Mænio fideicommissum Sempronio esse relicto. Quæ except. subsistit per ea, quæ habentur, *M. I. C. lib. 13. c. 7. reg. 2. in pr.* Ad quam elidendam actor Sempronius vtitur replicat. hac: cum bona Mæuii sint confiscata, non esse eius mortem expectandam: De iure huius replicationis controversia est, an, si bona hæredis, qui post mortem suam alteri hæreditatem restituere rogatus est, sint confiscata, mors hæredis à fideicommissario non debeat expectari? Cuius probatio actori tanquam suæ replicationis incumbit. Ad probandum autem vtitur hoc argumento. Quo fiscus in poenis aliis creditoribus nõ præferatur, *M. I. C. libr. 2. cap. 35. reg. 1. exceptio. i.* Sed hoc argumentum *ibidem replicat. 1.* distinguitur, nisi creditores aliqua exceptione possint

possint repelli ab eo, cuius bona sunt confiscata. Hæc enim exceptio fisco non est deneganda: cum bona cum sua causa ad fiscum transeat. Itaque replicatione actoris quasi non satis probata reiecta, secundum exceptionem propositam pro fisco est respondendum.

LIX. *Mamilia meretrix, cum libidinis causa ab Hostilio Montino raperetur, grauiter eum vulnerauit. Montinus de iniuria & damno accepto aduersus eam agit. Queritur, quid iuris?*

D I S P U T A T I O.

Montinus actionem iniuriarum & damni iniuriæ cumulat: quod fieri potest per ea, quæ habentur, *M.I.R. libr. 5. cap. 1. reg. 87. except. 10.* A rea opponitur exceptio de vi sibi ab actore illata. Quæ exceptio approbatur, *M.I.C. libr. 22. cap. 9. q. 3. causa. 2. except. 2. & q. 4. except. 15.* Ad eam elidendam utitur actor replicatione hac, quod publicam meretricem rapere liceat. Quod à rea negatur: ideoque probatio eius incumbit actori. Ad id probandum adducit, *M.I.R. lib. 1. cap. 13. crim. 3. reg. 1. except. 3.* Vbi assertitur impunitum esse, si quis publicam meretricem rapuerit. Quanquam id ibidem contrarium apparet. Sed & si certum esset, per hoc

hoc tamen non sequeretur, quod raptæ vim vi repellere non liceret. Itaque replicatio actoris tanquam non satis de iure approbata, non est admittenda, sed rea ratione exceptionis oppositæ absolucnda.

L. X. Stante consuetudine, qua coniunx coniugi sine liberis ex eo matrimonio procreatis defuncto ab intestato succedit: moritur Septitius superstite uxore Dorothea, nullis liberis ex eo matrimonio relictis, sed relicto Seio nepote ex filia prioris matrimony. Moritur tandem Dorothea relicta nepote Anna ex filio prioris matrimony. Seius hereditatem aui sui Septitij petit ab hærede Dorothea. Queritur, quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Seius nepos Septitii intentionem suam fundatam habet in iure, quo nepos auo ab intestato succedit. Cui opponitur exceptio ex consuetudine, qua coniunx coniugi ab intestato succedit: hac consuetudine Dorotheam marito suo ab intestato dicitur successisse nepote eius excluso. De qua consuetudine cum satis constet, replicatur ab actore, quod neque statuto, neque consuetudine liberis legitima, iure naturali debita, possit auferri per ea, quæ supra *caussa* 44. sunt allegata. Quæ replicatio cum iure & facto

facto subsistat, nec aliqua duplicatione
 queat elidi, dicendum est auctori legitima
 mam ex hæreditate aui sui adiudicandam
 esse.

*LXI. Moritur Titius relictis fratre & so-
 rore, & ex alio fratre prædefuncto nepte. Soror
 autem defuncti per statutum à fratre à successio-
 ne excluditur. Queritur an neptis ex fratre præ-
 defuncto cum patruo suo succedat?*

D I S P U T A T I O.

Neptis intentionem suam fundatā ha-
 bet in iure, quo nepos vel neptis ex fratre
 prædefuncto cum patruo ad hæreditatem
 patru defuncti admittitur, de quo, *M. I. C.*
lib. 10. cap. 5. reg. 4. in iure nouo, & M. I. R. lib. 4.
c. 6. reg. 9. exc. 1. Cui obiicitur exceptio hæc,
 quod statutum excludens sororē defuncti
 propter fratrem, censetur etiam exclude-
 re neptem ex fratre prædefuncto. Hoc ne-
 gatur ab auctrice: lis oritur de eo, an statutū
 excludens defuncti sororem propter fra-
 trem extendendum sit etiam ad neptem
 ex fratre prædefuncto? Cuius extensionis
 probatio ipsi reo tanquam suæ exceptio-
 nis incumbit. Probatur autem ex eo, quod
 eadem sit ratio in excludenda nepte, quæ
 est in sorore, scil. Favor adgnationis seu fa-
 miliæ

milix conseruandæ. At vbi eadem ratio, ibi idem ius est, *M. I. R. lib. 1. c. 1. reg. 5. in prin.* Accedit item, *M. I. R. d. except. 1. dist. 2.* Nec obstat, quod in correctoriis non admittatur extensio, *M. I. R. d. reg. 5. exc. 7.* Cui respondetur ibidem *repl. 5.* Itaque dicendum in casu proposito, neptem ex fratre prædefuncto per patrum suum à successionē patris defuncti excludi.

LXII. Moritur Manius relicto Seio fratre suo uterino, & ex fratre germano nepote Caio. Queritur an Caius nepos ex fratre germano Seium defuncti fratrem uterinum à successionē Manij excludat?

D I S P U T A T I O.

Seius intentionem suam fundatam habet in iure, quo frater fratri ab intestato succedit: de quo, *M. I. C. d. cap. 5. reg. 2. & M. I. R. d. cap. 6. reg. 8.* Cui obstat exceptio hæc, nisi frater sit uterinus, non ex utroque parente coniunctus, *M. I. C. dict. reg. 2. except. 3. & M. I. R. dict. reg. 8. except. 2.* Sed hæc exceptio eliditur replicatione hæc, nisi frater ex utroque parente defuncto cognatus nullus supersit; tunc enim frater uterinus ad successionem admittitur, *M. I. C. dict. except. 3. repl. 1.* Quæ replicatio pro-

G 2 posita

positæ causæ inest, siquidem Mæuius defunctus nullum alium fratrem quam Seium reliquit: itaque videtur exceptione non obstante Seius ad successionem defuncti admitterendus. Verum replicatio hæc eliditur duplicatione hac, nisi ex fratre germano seu ex utroque parente coniuncto prædefuncto supersit filius, vel filia: per hos enim frater defuncti uterinus excluditur. Quæ duplicatio approbatur, *M.I.C. d. repl. i. dupl. 1.* Et causæ propositæ inest: siquidem Caius est defuncti Mæuii nepos ex fratre germano: nec duplicatio hæc ulteriore distinctione potest elidi. Itaque dicendum hoc casu Seium per Caium à successione fratris Mæuii excludi.

LXIII. Claudius decessit relicto avunculo Seio, qui matris ipsius frater fuit uterinus, & Mæuiopatrui suo, qui patris ipsius frater fuit germanus. Queritur an hic Mæuius Seium à successione Claudij propter duplex vinculum excludat?

D I S P U T A T I O.

Seius intentionem suam fundatam habet in iure, quo cognati eiusdem gradus defuncto pariter succedunt: de quo, *M.I. C. lib. 10. cap. 10. reg. 2. & M.I.R. lib. 4. cap. 6. reg. 7. Cui*

7. Cui à Mæuio reo obiicitur exceptio, quod pater suus fuerit patris Claudii frater germanus ex vtroq; parente coniunctus, Scii autem mater defuncti matris soror vterina ex vno tantum parente coniuncta. De iure huius exceptionis dubitatur, an, vt in successione fratrum frater germanus excludit vterinum, ita etiam in vltioribus transversalibus cognatis idem ius obtineat. Pro negatiua parte præsumtio est: præsertim, quia nullâ speciali lege exceptio hæc in vltioribus cognatis reperitur approbata, *M. I. R. d. reg. 7. except. 5.* Ideoque dicendum, exceptione Mæuii non obstante, Scium cum Mæuio, quia in pari gradu cognationis sunt, ad successionem Claudii admittendum esse. *Schurff. cent. 2. conf. 62.*

LXIV. Stante consuetudine, qua coniunx coniugi non extantibus liberis ab intestato succedit, in omnibus bonis, exceptis bonis auitis, qua ad defunctum à parentibus suis peruenerunt. In his enim succedunt cognati defuncti, qui sunt eius linea, à qua bona ad defunctum peruenerunt. Decessit Dorothea superstitè secundo marito & multis bonis auitis relictis. Sed & domum reliquit, quam filia ipsius ex successione paterna adquisierat, qua defuncta dimis illa matri Doro-

thea obuenit. Quam domum ego post mortem Dorotheæ marito eius successione iure deberi respondi, alius contra cognatos defunctæ defendebat. Queritur, quid iuris?

DISPUTATIO.

Maritus defunctæ Dorotheæ intentionem suam fundatam habet in consuetudine loci, qua cuniunx alter alteri sine liberis decedenti ab intestato succedit. Cui à cognatis opponitur except, hæc, quod domus litigiosa non in matrimonio sit adquisita, sed ex successione ad defunctam peruenerit. Maritus replicat, eam non ex successione parentum, sed ex filia successione ad defunctam peruenisse. Ideo eam inter bona auita, quæ iure consuetudinis cognatis debentur, non posse connumerari. Quæstio in eo cõsistit, an domus non à parentibus, sed à filia adquisita inter bona auita sit connumeranda? Pro negatiua præsumptio est, neque qua ratione affirmatiua defendi possit, animaduerto. Itaque respondeo domum litigiosam ad maritum, non ad cognatos defunctæ vi consuetudinis pertinere.

LXV. Stante consuetudine, qua prædia à defuncto relicta successione lineam, à qua dimanant,

runt, sequuntur; Sempronia prædium à matre sua adquisiuit, quod mater non successionis iure adquisierat, sed dum vidua fuit, comparauerat. Queritur defuncta Sempronia relictis adgnatis proximioris, & cognatis remotioris gradus, vtrum prædium ad adgnatos, an ad cognatos defuncta pertineat?

D I S P U T A T I O.

Adgnati intentionem suam fundatam habent in iure, quo proximiores gradu remotioribus in successione præferuntur: de quo, *M. I. C. lib. 10. cap. 6. except. 1.* Cognati excipiunt, quod prædium litigiosum ad defunctam à matre, non patre peruenerit. Igitur illud iure consuetudinis ad cognatos pertinere. Quæ exceptio eliditur ab actoribus replicando, si cognati eiusdem essent gradus cum adgnatis, tunc consuetudo illa obtineret. At cum sint gradus remotioris, consuetudinem in hoc casu non obtinere. Ius huius replicationis à cognatis negatur. Causa in hoc consistit, an proximiores gradu adgnati cognatos remotioris gradus excludant in iis bonis, quæ ad defunctum ex linea materna peruenerunt, quæ aliàs iure consuetudinis cognatis debentur? Præsumtio est pro ad-

gnatis: quia ius commune à consuetudine corrigi vel distingui non præsumitur, nisi probetur, cum consuetudines & statuta ita sint interpretēda, vt quam minimum corrigant ius commune, *M. I. R. lib. 1. c. 1. reg. 12.* Itaque censeo pro adgnatis in casu proposito esse respondendum. Cui accedit etiam *Chassaneus in consuetud. Burgund. de successione. §. 9. in glos. ult.*

LXVI. Cum *Mauius à Sempronio feudum recognosceret antiquum maioribus suis concessum hoc modo, vt liceret domino feudum aliqua pecunie summa, quando vellet, redimere, inuestitus est sub modo, quo maiores ipsius essent inuestiti, dictis verbis vt liceret, &c. non expressis. Sempronius dominus post aliquot annos Mauio summam pecunie obtulit feudum redempturus. Mauius autem recusauit. Queritur, quid iuris?*

D I S P U T A T I O.

Sempronius intentionem suam fundat in veteri inuestitura, in qua maiorib. Mæuii feudum concessum erat, vt id domino quandoque vellet, redimere liceret. Quæ actio subsistit per ea, quæ habentur, *M. I. F. cap. 1. reg. 7. in princ.* Ex parte Mæuii opponitur exceptio hæc, quod prior inue-

stitura

stitura per posteriorem, in qua pacti de feudo redimendo nulla fit mentio, sit nouata & sublata. Quod Sempronius negat. De facto exceptionis lis oritur, an prior inuestitura per posteriorem sit nouata atque sublata, Mæuius reo eius, tanquam suæ exceptionis, probatio incumbit. Probaturus autem hoc, utitur argumento tali: In inuestitura posteriori pactum de feudo redimendo non continetur. Ergo videtur à priori inuestitura recessum esse, eamque nouatam. Hoc argumentum nihil probat: Licet enim verba prioris inuestituræ de feudo redimendo in posteriori inuestitura non sint expressa, tamen æquipollentia verba in ea continentur, scilicet hæc: Sub modo, quo maiores ipsius sunt inuestiti. Quibus verbis haud dubie pactum feudi redimendi censetur reperitum. Itaque dicendum, exceptionem propositam non satis à reo esse probatam: Idque eo magis, quoniam nouatio non præsumitur, nisi in posteriori cōtractu hoc exprimat, quod prioris contractus nouandi animo sit initus, *M. I. C. lib. 24. cap. 12. q. 4. except. 13.* Quare pro actore Sempronio in causa proposita est respondendum.

LXVII. Caius uxori suae Anna praedium N. donat, reservato sibi usufructu eius dum vixerit. Eo mortuo, Septicius expulso colono defuncti praedium ut occupat. Anna uxor defuncti interdictum unde vi contra Septicium instituit. Quaeitur, quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Aetrix intentionem suam fundat in iure, quo possessori vi deiecto interdictum datur ad possessionem recuperandam: de quo, *M. I. C. lib. 7. cap. 23. q. 4. causa 1. & M. I. R. lib. 3. cap. 16. reg. 1.* Reus excipiendo negat aetricem praedium possedisse. Quae exceptio approbatur, *M. I. C. dict. quest. 4. except. 24. & M. I. R. d. reg. 1. except. 13.* Aetrix affirmat se praedium possedisse: cum Caius in donatione praedii aetrici facta reservauerit sibi usufructum, & sic per constitutam possessionem in aetricem transtulerit per ea, quae habentur, *M. I. C. lib. 7. ca. 15. causa 1 r. & cap. 16. causa 3. item M. I. R. lib. 3. cap. 14. reg. 15.* Ad hoc argumentum, quo aetrix probat se praedium litigiosum possedisse; idoque se à Septicio esse deiectam elidendum, reus Septicius utitur exceptione hac, quod ex inutili contractu non trans-

fera-

feratur possessio per traditionem, multo minus per constitutum. At donationem inter maritum & uxorem esse inutilem. Ergo ex ea possessionem in actricem non fuisse translata. Maior propositio ab actrice negatur. Vnde quaestio iuris oritur, an ex contractu inutili non transferatur possessio? Cuius probatio ipsi reo tanquam suae exceptionis incumbit. At nulla speciali lege eam potest probare. Nam licet *l. si eum 26. in prin. ff. de donat. inter vir. & uxore.* negetur possessio iure civili ex donatione inter virum & uxorem: hoc tamen de ea possessione intelligendum ex qua usucapio procedere potest. At ex donatione inter virum & uxorem iure civili non procedit usucapio, *M. I. C. libr 7. cap. 9. except. 11. repl. 4.* Sed naturalis possessio ex hac causa transfertur: ut est textus expressus *l. 1. §. si vir uxori, ff. de adqu. poss. cum aliis, quae collegi, M. I. R. lib. 7. cap. 15. quest. 1. except. 17.* Ex quibus constat, Septicium reum suam exceptionem non probasse. Ideoque contra eum, nisi meliores adferat exceptiones, pronuncian- dum esse.

LXVIII. Titius praedium suum emphyteuticum Menio vendidit centum aureis, reservato sibi

sibi in eo prædio usufructu ad vitam. Queritur, an domino laudemium debeat?

D I S P U T A T I O.

Intentio domini fundata est in iure, quo prædio emphyteutico alienato laudemium domino debetur: de quo agitur, *M. I. C. lib. 19. c. 9. quest. 4. reg. 6. & M. I. R. lib. 5. cap. 7. reg. 10.* Obicitur exceptio de prædio emptori nondum tradito: Quæ exceptio nulla speciali lege reperitur approbata: & licet legibus approbata esset, tamen hoc casu constitutum traditionis loco est per ea, quæ supra in causa proxima sunt adducta. Itaque pro domino in hac causa respondendum. Cui accedit etiam Tiraq. in tractatu constituti, in 27. limitatione.

LXIX, Seio in testamento Sempronij legatum est prædium sub hac conditione, si heredi decem dederit. Mortuus est Seius, antequam heredi decem daret. Mæuius heres eius Sempronij heredi decem offert, & prædium legatum petit. Heres Sempronij decem oblata accipere, & prædium Mæuius restituere recusat. Queritur, quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Mæuii intentio fundata est in testamento Sempronij, in quo Seio, cui Mæuius hæ-

res existit prædium litigiosum legatum est. At manifesti iuris est, quod actio ex testamento ad hæredem legatarii transeat, *M. I. R. lib. 4. cap. 9. reg. 39. in princ.* Huic actioni hæres Sempronii exceptionem opponit, quod Seius, antequam decem dederit, mortuus sit, ideoque cum ante conditionem existentem decesserit, legatum ad suum hæredem non transmisit, *M. I. R. dist. reg. 39. except. 1.* Quæ exceptio, cum negari non possit, nec distinguendo potest elidit, siquidem certi iuris est, quod in legatis facultas implendi conditionem non transeat in hæredem; de qua re differui *cent. 5. decis. 1.* & in terminis est *leg. A testatore, 107. ff. de condit. & demonstr.* Ideoque in causa proposita contra actorem Mæuium est respondendum:

LXX; Moritur Titius relicto Seio filio ex primo matrimonio, & uxore Berta cum tribus liberis secundi matrimonij: fit transactio inter Seium filium primi matrimonij, & tres liberos secundi matrimonij hoc modo; ut Seius fratribus suis uterinis pro hereditate paterna solueret quingentos aureos, ut inde alerentur, & si contingeret, unum ex iis decedere, portio eius ceteris fratribus adcreceret, nec ad matrem pertineret.

neret. *Moriuntur tandem omnes liberi secundi matrimonij, postea etiam mater illorum Berta. Scius filius primi matrimonij iure successione repetit aureos quingentos, quasi ex pacto ad se, non ad matrem defunctorum pertinerent. Contradicit heres Berta. Queritur, quid iuris?*

D I S P U T A T I O.

Agit Scius ex pacto, quo convenit, ut vno ex liberis mortuo, portio eius, quam in aureis quingentis haberet, ad fratres superstites, non ad matrem pertineret. Quod pactum subsistit per ea, quæ habentur, *M. I. C. lib. 9. cap. 1. quest. 5. caus. 6. except. 1.* Verum ab hærede Bertæ excipitur, quod pactum illud tantum pertineat ad liberos matrimonii secundi, quibus aurei isti quingenti transactionis nomine sint dati, non ad fratrem primi matrimonii: quod ab actore Scio negatur. Queritur de facto exceptionis, quid isto pacto sit actum. Præsumptio est pro reo convento: Quia aureo isti quingenti liberis posterioris matrimonii transactionis nomine à fratre prioris matrimonii dati sunt, in cuius potestate fuit, legem solutionis apertius conscribere, *l. veteribus, 29. ff. de pact.* Itaq; reus ab instituta actione absolvendus, nisi contrarium doceatur.

LXXI. *Cum Titius pecus suam per aliquot annos in pratis Mæuij frano ablato pauisset, Mæuius pratis fossam circumdedit, ne Titius pecus suam intrmittere posset. Vnde Titius aduersus Mæuium interdictum, vti possidetis, instituit. Queritur, quid iuris?*

D I S P U T A T I O.

Titius intentionem suam fundat in iure, quod quo quis seruitute vsus est hoc anno non vi, nec clam, nec precario, in eo vsu per opus aliquod factum impediri non debeat exemplo itineris, actus, viæ, aquæ ductus, *M. I. C. lib. 8. c. 7. & cap. 9.* Cui actioni Mæuius reus obiicit exceptionem hanc, si nō vi clam, vel precario actor pecus suam in pratis Mæuii pauisset. Quæ exceptio de iure approbatur in dictis locis. Sed de facto eius controuersia est, an actor iure pascendi vi, clam, vel precario vsus sit? Huius probatio vtri sit iniungenda, dubitatur. At, quia ignorantia præsumitur, nisi probetur scientia Mæuii per ea, quæ habentur *M. I. R. libr. 2. cap. 31. in verb. Ignorantia.* ideo dicendum, actori incumbere probationem, quod sciente, & non contradicente Mæuio in pratis eius pecus suū pauerit. Quo probato simul etiā probatum cense-

tur,

tur, quod non vi, nec clam iure pascendi v̄sus sit: si vero Mæuius obiiciat, quamuis se sciente, & non contradicente vsus sit, tamen illum precario vsu esse: Ideoque interdictum ei competere non posse: hoc casu Mæuius reo probatio precari incumbit. Quod si primo casu actor non probauerit, reus Mæuius absolui debet: si vero probauerit, & Mæuius precarium non probauerit, reus ad petita est condemnandus.

LXXII, Cum Titius & Sempronius contiguas ades haberent, atq, parietem communem; Titius ades suas rescidit ab adibus Sempronii, saluo pariete communi. Vnde accidit, ut ades Sempronij ruinam minarentur, ob id Sempronius contra Titium egit ad cauendum de damno infecto. Queritur, quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Sempronius intentionem suam fundat in iure, quo is, qui damnum metuit, agere potest, ut sibi de damno infecto à vicino caueatur: de quo, *M. I. C. lib. 8. c. 28. q. 3. in pr.* Cui opponitur à Titio exceptio hæc, quod si ex re communi alteri ex sociis in re propria damnum imminet, de damno infecto actio cesset: *M. I. C. d. q. 3. except. 9.* Quæ exceptio causæ propositæ inest. Quia ex
com-

communi pariete auctori damnum imminet. Verum exceptio hæc eliditur replicatione hac, nisi ex lociis alter solus ædificet, ex quo alterius ædibus propriis damnum immincat: hoc enim casu de damno infecto actio non denegatur, *M.I.C. d. except. 9. repl. 2.* Quæ replicatio ppositæ causæ inest: sed videtur ea duplicando elidi posse, si reus auctori parietem communem, ex quo damnum metuit, cedat: nam actione de damno infecto auctor nihil aliud consequitur, quam si reus ei non caueat, vt in possessionem rei, ex qua damnum metuit, mittatur, *M.I.C. d. cap. 28. q. 8.* Itaque reus videtur absoluendus. Quanquam in simili causa contrarium scio esse pronunciatum.

LXXII. Claudius vendit Sempronio prædium reseruato sibi eius usufructu, donec vixerit, post aliquot annos idem prædium vendit Caio, & tradit, posteaq. moritur. Prior emptor Sempronius vendicat illud prædium à Caio secundo emptore. Queritur, quid iuris?

DISPUTATIO.

Sempronius intentionem suam fundatam habet in iure, quo per constitutum transfertur possessio & dominium in em-

ptorem: de quo, *M. I. R. li. 3. c. 13. reg. 18. exc. r.*
 Eo autem ipso, quod Claudius in prædio
 vendito sibi reseruauit vsufructum, cō-
 stituit se illud nomine emptoris posside-
 re, *M. I. C. lib. 7. cap. 15. q. 1. caus. 11. & M. I. R. lib.*
3. c. 14. reg. 15. Huic à Caio reo opponitur
 exceptio hæc, quod sibi prædium à vendi-
 tore sit realiter traditum. De iure huius
 exceptionis dubitatur, vt & potior sit in
 possessione rei venditæ, priornè emptor;
 cuius nomine venditor constituit se possi-
 dere, an posterior, cui res realiter est tradi-
 ta? Præsumitur pro actore Sempronio:
 Quia constituens haud dubiè possessionē;
 simul & dominium in emptorē transfert,
 quam possessionem semel emptori acqui-
 sitam venditor interuertere ei non potest
 rem alii tradendo, nec dominium in aliū
 transferre, quod non habet, *M. I. R. d. exc. r.*
 Ideoq; in causâ proposita Caius ad restitu-
 tionem prædii cōdemnandus, salua actio-
 ne empti aduersus venditoris hæredes.

*L X X I V. Moritur Meuius magno ære a-
 lieno relicto: heres hereditatem repudiat. Inter
 creditores hereditarios contentio oritur de prio-
 ritate. Quaritur, an, quemadmodum inter hy-
 pothecarios creditores, ita etiam inter chirogra-
 pharios*

pharios temporis ratio sit habenda, ut qui prior tempore, idem etiam sit potior iure? Et dicendū, quod non, sed omnes chirographarios creditores eodem iure censerī, ut neuter alteri preferatur, sed singulis proportione aliquid ex suo credito detrahatur, M. I. C. lib. 2. c. 35. reg. vlt.

LXXV. Caius, cum Titij nomine à Sempronio equum emisset, post perfectam venditionem dicit venditori, si Titio equus displicuerit, erit inemptus: Venditor tacet, nec quidquam contradicit. Queritur, si equus Titio postea displicuerit, an ei à venditione recedere liceat?

DISPUTATIO.

Titius agit actione redhibitoria ex pacto de equo redhibendo, si ei equus displicuisset: quæ actio approbatur, M. I. C. libr. 18. t. 12. q. 3. caus. 10. Ad quam elidendam Sempronius duplici vititur except. vna, se in pactum illud non consensisse: altera, etiam si in illud consensisset, tamen, cum non in ipso contractu interuenerit, sed ex interuallo adpositum sit, illud ad agendū non prodesse. De facto primæ except. lis oritur, vtrum reus in pactū cōsenserit, nec, ne? Cuius probatio ipsi actori incumbit: quia pro negatiua præsumtio est. Ad probandum autem vititur hoc argumento, quod, cum

Caius dixisset, si Titio equus displicuerit, emptus erit, venditor tacuerit, nec quidquam contradixerit. At taciturnitatem consensum arguere, *litem queritur*, 13. §. ff. *locati*. Quod ad alteram exceptionem attingit, scil. non in ipso contractu, sed ex interuallo pactum fuisse adpositum, ea subsistit per ea, quæ habentur, *M. I. C. lib. 15. c. 15. exceptio. 12. repl. 4. duplic. 1.* Inter cuius distinctiones numeratur & hæc, nisi re adhuc integra pactum ex interuallo sit adpositum, *M. I. C. d. dupl. 1. iripl. 3.* Quæ distinctio propositæ causæ inest. Ideoq; per eam elidi potest altera rei conuenti exceptio. Quare dicendum in causa proposita contra Sempronium reum esse respondendum.

LXXVI. Mæuius testamento factò duas sorores suas, Annam & Dorotheam, in calibatu viuentes, hæredes instituit, easque inuicem substituit. Mortuo testatore, Dorothea nubit Titio, ex quo filium suscepit, ac tandem relicto filio decessit. Anna soror ipsius ex substitutione petit partem hæreditatis, quam ex testamento Mæuij defuncta acceperat. Queritur, quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Anna intentionem suam fundat in testamento Mæuii, in quo sorori suæ Dorotheæ

thea sit substituta. Cui opponitur exceptio hæc, si Dorothea filium post se non reliquisset, actio subsisteret. At filius ab ea relictus substitutam excludit. Quæ exceptio subsistit per ea, quæ habentur, *M.I.C. lib. 9. c. 11. exceptio. 146.* & *M.I.R. lib. 4. cap. 2. except. 86.* Et propositæ causæ ita inest, vt negari non possit. Replicando autem ab actrice obiicitur, quod exceptio illa, nisi parentes liberis suis substituerint, locum non habet in extraneo testatore. At in casu hoc Mæuius non liberis suis, sed sororibus substituit. Ergo, &c. Maior probatur, *M.I.C. d. except. 146. repl. 1.* & *M.I.R. d. except. 86. repl. 1.* Minor etiam negari non potest, nec distinguendo replicatio elidi. Nam etsi voluntas testatoris allegari potest, quod testator substitutioni locum esse noluerit, si Dorothea liberos nacta sit, tamen de hac voluntate non satis constat, & *d. repl. 1.* repugnat. Itaque dicendum in casu proposito, pro actrice respondendum esse.

LXXVII. Titius Seio per fundum suum viam legavit ad fundum ipsius: quod legatum Seius ignorans, fundum suum ob difficultatem aditus vendidit Mævio, ac tradidit. Postea comperito via legato pœnitet eum venditionis, quam

*cum retractare non possit, via legatum repudia-
uit. Queritur, quid iuris?*

DISPUTATIO.

Cum hæres Titii Mævio per fundum hæreditarium ad fundum à Seio emptum viam negaret. Mæuius agit ex testamento Titii de via ad fundum emptum legata, Quæ actio, cum ipso iure & facto ita subsistat, vt negari non possit, hæres Titii vtitur except. hac, quod Seius, cui via ad fundum legata est, legatum repudiauerit. Quæ exc. approbatur, *M. I. C. lib. 12. c. 8. cau. 29.* & causæ propositæ inest. Eliditur autem replic. hac, quod Seius eo tempore legatum via repudiauerit, quo fundus, ad quem via legata est, ad eum pertinere desierit. Quæ repl. approbatur, *M. I. C. d. caus. 29. exc. 8.* & causæ propositæ ita inest, vt negari à reo non possit. Sed nec distingui potest ratione ignorantia, ob quam Seius fundum vendidit, aliàs eum non venditurus. Nam hæc ignorantia magis Seio ad fundum repetendum actionem suppeditare, quam hæredi Titii ad except. prodesse videtur. Itaque in casu proposito pro Mævio est respondendum.

LXXVIII. Titio in testamento Sempronii annua decem, donec vixerit, legata sunt. Mori-

tur

tur autem in principio septimi anni. Queritur, utrum eius anni quem ingressus est, decem eius hæredi debeantur, an apud hæredem Sempronij, à quo legata sunt, maneam?

D I S P U T A T I O.

Hæres Titii intentionem suam fundatam habet in iure, quo legatorum actio ad hæredem transit: de quo, *M. I. C. lib. 13. cap. 1. q. 3. reg. 1.* Cui opponitur except. hæc, quod annuum legatum ad hæredem non transeat: de quo. *M. I. C. d. reg. 1. except. 5.* Inter cuius replicationes numeratur & hæc, nisi eius anni, in quo legatarius decessit: *d. except. 5. repl. 1.* Quæ replicatio propositæ causæ ita inest, ut negando infirmari non possit. Sed & qua duplicatione possit elidi, non video. Ideoque, quoad decem eius anni, in quo Titius decessit, pro hærede Titii respondendum censeo.

LXXIX. Sempronius prædium Titij consensu ipsius legavit uxori suæ. Post mortem Sempronij vidua eius legatum à Titio petit. Recusatur Titius. Queritur, quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Vidua Sempronij intentionem suam fundat in testamento mariti. Excipit Titius, se neq; hæredem Sempronij esse, ne-

H 4 que

que aliquid ex testamento ipsius accepisse. Itaque legatum ab eo relictum nullius esse momenti. Quæ exceptio approbatur per ea, quæ habentur, *M.I.C. lib. 12. c. 4. except. 41. in princ.* Inter cuius replicationes numeratur & hæc, nisi Titius in legatum consensisset. Quæ replicatio approbatur, *d. except. 4. repl. 6. item l. uxori, §. 1. ff. ad l. Corn. de fals.* Accedunt item ea, quæ habentur. *M.I.C. lib. 7. c. 4. reg. 1. except. 1. repl. 1.* Quæ replicatio, cum ipso iure, & facto subsistat, nec qua duplicatione queat elidi, animadvertam, respondeo in casu proposito reū actrici esse condemnandum.

LXXX. Seius fratrem suum Mauium heredem instituit, & ei coheredem Titium adiungit sub hac conditione; si Mauius heres erit. Mauius omissa causa testamenti ab intestato Seio fratri suo succedit. Quæ tur, an Titius pro parte ex testamento sit heres?

DISPUTATIO.

Titius intentionem suam fundat in testamento Seii, à quo pro parte heres sit institutus. Obiicitur ei à Mæuio testatoris fratre exceptio hæc, quod conditio institutionis defecerit: cum Mæuius non ex testamento, sed ab intestato fratri heres existat.

Stat. Replicando dicitur, nihil referre, vtrum ex testamento, an ab intestato Mæuius hæres sit : cum conditio à testatore simpliciter sit adiecta, si Mæuius hæres erit. Quæ replicatio à Mæuio negatur. Lis de replicationis iure est, an nihil intersit, si cōditio concepta sit, *si hæres erit*, vtrum ex testamento, an ab intestato hæres sit? Præsumptio videtur esse pro replicatione proposita: quia verba simpliciter prolata simpliciter etiam sunt accipienda, *M. I. C. lib. 2. c. 24, q. 1. reg. 2.* Verum in contrarium hoc casu est, *l. si in testamento 22. in prin. ff. si quis omissa causa testamenti.* Qua lege eliditur d. præsumptio, & contrarium probatur. Itaque dicendum, replicatione proposita nõ obstante secundum exceptionem à reo oppositam contra actorem esse iudicandum.

LXXXI. Caius habet filium A. & duas filias B. & C. Ex his filia B. dotata iuramento renunciat hereditati paterna. Postea pater filiam C. elocat, dans ei in dotem duo millia aureorum sub hac conditione, ut si filia C. constante matrimonio sine liberis decedat, dos illa ad patrem, eiusve hæredes reuertatur. Moritur postea Caius pater, relicto hærede filio A. Moritur tandem

H 5 dem

dem etiam filia C. constante matrimonio nullâ liberis relicta, B. dimidiam dotis partem, tanquam hæres sororis defunctæ petit à fratre A. qui ei contradicit. Queritur, quid iuris?

DISPUTATIO,

Aëtrix B. intentionem suam fundat in iure, quo soror sorori defunctæ ab intestato succedit: de quo, *M.I.C. li. 12. c. 5. reg. 3.* Cui à fratre A. opponitur exceptio hæc, quod dos duorum millium aureorum non sit in hæreditate defunctæ C. sed ex pacto speciali in spõsalibus adiecto redeat ad patrem, & eius hæredes. Aëtricem autem propter iuratum renunciationem patris hæredem non esse. Ideoq; eam in partem dotis relictae succedere non posse. Quæ except. tam iure, quam facto subsistit. Nã ius eius probatur, *M.I.R. lib. 4. ca. 6. reg. 9. exc. gen. 3 repl. 3. dup 2.* Et de facto nullam animaduerto cõtrouersiam esse inter partes, nec vllam replicationem video, qua exceptio ista elidi possit. Itaque respondeo reum A. ab aëtrix petitione esse absolendum.

LXXXII. Maius habens Decimas in pago Widenhausen: conuenitur de iis restituendis à Sempronio, qui producit instrumentum, quo continetur, quod decima in Widenhausen ad Sem-

Sempronium, eiusque heredes pertineant. Excipitur à reo; quod duo sint pagi eiusdem nominis Widenhausen, & in utroque decima sint. Itaq; ab aëtoe probandum, quod ipsius instrumentum de decimis iis loquatur, quas reus possidet. Quæ exceptio subsistit per ea, quæ habentur, M. l. R. lib. 2. cap. 9. reg. 5. ubi ei iniungitur probatio, qui intentionem suam in qu. proposita fundat: idq; in quaestione proposita eo magis obtinet, quia post multam contentionem apparuit, aëtoem in altero pago eiusdem nominis decimaa possidere, de quibus ipsius instrumentum loqui presumitur. Itaq; nisi aëtoe probet suum instrumentum loqui de decimis à reo possessis, reas ab ipsius petitione est absolvendus.

LXXIII. Berta factò testamento Titium adgnatum suum cum liberis heredem instituit. Fuerunt autem duo Titii, pater & filius testatricis adgnati. Titius autem pater ante testamentum factum mortuus est, quod verissimiliter Berta in alio loco remotiori degens ignorasse dicitur. Quaritur, uter Titius à Berta institutus presumatur: nam uterq; ipsius agnatus fuit, & liberos habet.

DISPUTATIO.

Titius filius pro se adducit, quod non sit verisimile, Bertam testatricem de patre
sen.

senſiſſe, quem teſtamenti facti tempore conſtabat eſſe mortuum : Nemo enim mortuum hæredem inſtituit. Contra fratrem à liberis defuncti Titii excipitur, quod teſtatrix ignorauerit Titium patrem mortuum fuiſſe: ideoque nihilominus inſtitutionem in liberis defuncti valere. Titius filius hanc exceptionem, quod teſtatrix ignorauerit, Titium fuiſſe defunctum negat. Cauſa in eo conſiſtit, vtrum teſtatrix ſcinerit, an ignorauerit, Titium patrem fuiſſe defunctum? Quia vero in dubio ignorantia præſumitur, *M. I. R. lib. 2. c. 11. in verb. ignorantia.* Ideò Titio filio probatio incumbit, teſtatricem Bertam ſciuiſſe tempore teſtamenti facti Titium patrem fuiſſe mortuum. Quo non probato, pro liberis Titii defuncti reſpondendum eſt.

LXXXIV. Stantò conſuetudine, quod mortuo marito, relictis liberis uxor ſuperſtes in bonis defuncti habeat uſumfructum: moritur Meuius, ſocer Dorothea, relicta opima hereditate, cuius uſusfructus Dorothea iure conſuetudinis debetur, ſi maritus eius poſt mortem patris, & ſic poſt delatam ſibi hereditatem paternam deceſſiſſet. At cum peregrè in bello maritus deceſſiſſet, ignoratur, vtrum antè, an poſt mor-

in mortem patris decesserit. Queritur, quid iuris?

DISPUTATIO.

In hoc dubio præsumtio iuris est, quod filius post patrem decesserit, per *l. Qui duos, 10. §. Cum bello, & §. si. de reb. dub.* Itaque liberis defuncti mariti denegantibus matri ususfructum, probatio incumbit, patrem suum ante auum, & sic ante delatam sibi hæreditatem decessisse. Quo non probato, matri Dorotheæ ususfructus hæreditatis marito delatæ debetur.

LXXXV. Moritur Titius relicto filio Mænio, absente, qui cum per viginti annos abfuisset, curatores bonorum res hereditarias distraxerunt. Tandem filius reuersus à possessoribus rerum paternarum petit hæreditatē patris. Queritur, quid iuris?

DISPUTATIO.

Mænius intentionem suam fundatam habet in iure, quo petitio hæreditatis datur aduersus possessores rerum hereditariarum: de quo, *M. I. C. lib. 11. c. 2. reg. 1. & M. I. R. lib. 4. c. 8. reg. 5.* Cui opponitur à reis, quod petitio hæreditatis non detur aduersus titulo possidentem. Quæ exceptio approbatur, *M. I. C. d. reg. 1. except. 1. & M. I. R. d. reg. 5. exc. 1.* & propositæ causæ inest: quia pos-

possessores titulo empti res hæreditarias possident. Quæ exceptio cum negari non possit, replicâdo eliditur q̄ post mortē defuncti, & sic post delatam hæreditatem rei conuenti titulum nacti sint. Quæ replicat. controuertitur quidem, sed magis approbatur, *M. I. R. d. exc. i. repl. i.* & quamuis controuersa, tamen admittenda est nō solum propter communem opinionem, sed etiã propter præsumtam malam fidem: siquidem, qui bona defuncti à curatoribus bonorum, qui nec inuentarium confecerunt, nec decretum magistratus ad alienandum impetrarunt, scientes emerunt, bonam fidem habere non præsumuntur, ideoque non tam titulo, quam pro possessore possident, *l. pro hærede, 11. §. fin. cum duabus ll. seqq. ff. de pet. hæ.* Qui autem pro possessore possident, haud dubiè petitione hæreditatis tenentur, *l. Nec ullam, 13. §. i. ff. d. titul.* Replicatio itaque proposita tam iure, quam factō ita subsistit, vt negari non possit, nec, qua duplicatione queat elidi, animaduerto. Censeo itaq; in causâ proposita pro actore respondendum esse.

LXXXVI. Titius à patre suo hæres institutus, uiuo patre decessit, magno ære alieno reli-

Etol

Et : cuius hereditatem liberi eius repudiarunt. *Quæritur*, si postea mortuo patre Titij liberi eius aui hereditatem ab intestato adeant, an æ alienum patris sui solvere teneantur.

D I S P U T A T I O.

Creditores Titii intentionem suam fundat in iure, quò liberi patris defuncti, tanquam hæredes, æ alienum solvere teneantur: de quo, *M. I. C. lib. 15. c. 5. reg. 5. & M. I. R. lib. 5. c. 1. reg. 27.* Ex parte liberorù Titij obiicitur exc. hereditatis paternæ à liberis repudiatæ. Quæ approbatur, *M. I. C. li. 10. c. 14. reg. 2. & M. I. R. lib. 4. c. 7. reg. 10.* Huic obstare videtur repl. hæc, nisi liberi aui hereditatem adierint. Quæ replic. videtur approbari hac ratione, quod aui hereditatē adeundo frustrà patris hereditatem repudient, qui aui hereditatem agnouit, & ad liberos suos transmisit. Quæ replicatio approbatur, *M. I. C. dict. reg. 2. except. 4. repl. 5. dupl. 1.* Sed minor huius argumenti propositio à reis conuentis negatur. Quo casu oritur quæstio hæc, an reorum pater sui patris hereditatem agnouerit, & ad suos liberos transmisit? Cuius tanquam suæ replicationis probatio creditoribus incumbit. Probando autem dicunt,

patrem liberorum à patre suo testamento hæredem institutum, quod testamentum ille adprobauerit, item patrem hæreditatem etiam non aditam, ad liberos suos transmittere, *M.I.C. lib. 9. c. 20. reg. 1. exce. 1. repl. 1. & M.I.R. lib. 4. c. 5. reg. 1. except. 1. repl. 1. Grauetz. conf. 410. num. 9.* Quod argumentum distinguendo eliditur, scilicet, si filio viuo delata esset patris hæreditas: tunc illud argumentum procederet: At filio viuo non fuit patris hæreditas delata. Ergo illud argumentum non procedit. Assumptio probatur, quia hæreditas delata intelligitur, quam quis possit adeundo consequi, *l. Delata, 152. ff. de V. S.* Adeundo autem non potest quis consequi hæreditatem, nisi post mortem eius, de cuius hæreditate quæritur, *l. vn. §. cum igitur, C. de caducis tollendis.* Quoniam viuentis non est hæreditas, *M.I.R. lib. 4. c. 8. reg. 11. in pr.* Cum igitur Titius viuente patre decesserit, dicendum, illi paternam hæreditatem non fuisse delatam: & per consequens, eum istam hæreditatem ad suos hæredes transmittere non potuisse. Ex quibus patet, exceptionem reorum per replicationem actorum elisam non esse. Itaque dicendum, reos à petitione

titione creditorum ratione repudiatæ hæreditatis paternæ esse absoluendos.

LXXVII. Maius testamento facto Seium fratrem suum filio suo substituit sub hac conditione. si filius hæres non erit. Queritur, an filius, in conditione positus, tacite hæres sit institutus, ut testamentum subsistat?

DISPUTATIO.

Seius intentionem suam fundatam habet in testamento Mæuii, in quo filio eius est substitutus. Cui obiicitur exceptio hæc, quod testamentum hæredis institutione non habeat, ideoque non subsistat. Quæ exceptio approbatur, *M.I.R. lib. 4. cap. 3. reg. 21. except. 55.* & causæ propositæ inest: Quia filius testatoris non est expresse institutus, Huic obstat replicatio hæc, quod conditio hæc, si ille (puta Titius) hæres non erit: contineat tacitam institutionem, quæ pro expressa habetur, *M.I.R. d. except. 55. repl. 2.* Hæc replicatio eliditur duplicatione hac, nisi is in conditione positus sit, qui necessario fuit hæres instituendus, vel exhæredandus, *M.I.R. d. rep. 2. dupl. 2.* Talis autem est filius testatoris, *M.I.R. d. reg. 21. except. 110. in princ.* itaque dict. conditio non habetur pro institutione. Et per consequens,

testamentum **nō** valet. Quare dicendum
Seio ex testamento Mæui actionem esse
denegandam:

LXXXVIII. Titius testamento factō praedium legauit Sempronio, postea mutato testamento, alium instituit heredem in testamento minus perfectō. Queritur, an Sempronio ex priorē testamento supersit actio?

D I S P U T A T I O.

Sempronius intentionem suam fundatam habet in testamento Titii priorē. Cui obiicitur except. mutati testamenti. Quæ approbatur, *M. I. C. lib. 9. c. 19. except. 33. & lib. 12. c. 6. exc. 87. item M. I. R. lib. 4. c. 4. exc. 16. & c. 9. reg. 14. exc. 29.* Cuius replic. est, nisi posterius testamentum non sit perfectum. Quæ replic. approbatur, *M. I. C. d. except. 33. repl. 1. & M. I. R. d. except. 16. rep. 1. & propositæ causæ ita inest, vt negari non possit. Verum eliditur dupl. hac, quod quamuis posterius testament. nō sit perfectum, tamen legata in priori testamento relicta fiant irrita: M. I. R. d. rep. 1. & dup. 4.* Cuius ratio est, quod legata nuda voluntate etiam imperfecta reuocentur. Planè duplicat. huic obstat tripl. hæc, nisi testator non aliter à priorē testamento voluit recedere, quā posterius

sterius esset valiturum. Si igitur posterius testamentum non valet, manet voluntas prioris testamenti, vt legatum non censeatur reuocatum. Quæ triplic. approbatur, *l. si iure, 18. ff. de leg. 3.* Quod si assumptio negabitur, actori probatio incumbit, quod testator à priore testamento non aliter recedere voluerit, quam posterius esset valiturum. Quo probato, dicendum, pro actore in causa proposita respondendum esse.

LXXXIX. Caius testamento factò Sempronio domum legauit, eundemq; postea in codicillis tutorem filius suis dedit. Mortuo testatore Sempronius se à tutela liberorum excusauit: nihilominus tamen domum legatam ab heredibus Caij petit. Queritur, quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Sempronius intentionem suam fundatam habet in testamento Caii. Cui opponitur, quod indignus sit legato, cū se à tutela excusauerit. Quæ except. approbatur & distinguitur, *M. I. C. lib. 2. c. 8. caus. 16.* & *M. I. R. lib. 4. c. 9. reg. 14. exc. 51.* Huius except. inter alias est repl. hæc, nisi etiam sine tutela testator voluerit legatum præstari. Quæ replicat. approbatur, *M. I. C. d. caus. 16. except. 4. ex leg. Nefennius. 32. §. fin. ff. de excus.*

Attamen à Dd. in controuersiam rapitur, & communi opinione dicitur reprobata; *M.I.R.d. except. 51. repl. 1.* Cui accedit etiam *Myns. cen. 6. obseru. 87. num. 3. cum duobus seq.* quali ius Pandectarum hoc casu iure nouissimo sit mutatum. Sed nulla speciali lege mutatio hæc probatur, verum argumentis aliunde conquisitis, nimirum; quod legatarius se à tutela excusando dicatur testamentum impugnare, ideoq; legato sit indignus, ex *leg. quesitum, 40. ff. de acq. her.* Attamen eadem ratio *dict. l. 40.* non admittitur in eo, qui pro parte institutus est, & pupillo substitutus, hic enim quamuis repudiet patris hæreditatem, & sic testamentum impugnare videatur: tamen nihilominus pupilli hæreditatem ex substitutione potest adire. Et valde absurdum est, ex huiusmodi rationibus legum mutationem velle introducere: cum potior nobis debeat esse legis auctoritas, quam ratio, præsertim cum rationes rationibus facile queant elidi, vt in casu proposito rationi iam dicta alia ratio; & quidem fortior potest opponi, quod sola voluntas testatoris seruetur in legatis & fideicommissis, *l. pen. ff. de leg. 1. item*, quod in fideicommissis præipue spectan-

Standa seruandaq; sit testatoris voluntas, *l. Fideicommissa, 11. §. item si quis certam, in fin. ff. de leg. 3.* Censeo itaque replic. propositā *d. §. fin.* approbatam contra commun. Dd. opinionem admittendam esse, si modò de facto eius constet, scilic. quod testator domum Sempronio voluerit legatam, etiam si à tutela se excusasset. Cuius probatio ipsi actori incumbit: nec tamen inde probatur, quod legatum in testamento relictum sit, & postea in codicillis tutela commendata: hæc enim probatio tanquam non sufficiens, reiicitur, *l. sed hac nimium, 33. ff. d. tit. de excus.* Nisi igitur actor meliorem produxerit probationem, dicendum est, illi non ius deesse, sed probationem.

XC. Titius testamento factò Mauium heredem instituit, & si is hæres non erit, Seium substituit. Mortuo testatore deliberante adhuc Mauio hærede instituto, Seius interrogatus, an velit Titio succedere, respondit non. Postea Mauio hereditatem repudiante, Seius pœnitentia ductus eam adit, & à possessore petit. Queritur, quid iuris?

DISPUTATIO.

Seius intentionem suam fundatam habet in iure, quo hærede instituto hereditatem

tem repudiante, admittitur substitutus. Cui opponitur exceptio hæc, quod hæreditatem repudiauerit eo ipso, quia interrogatus, an vellet Titio succedere, responderit non. Quæ except. approbatur, *M. I. C. lib. 10. c. 9. exc. 14* & *M. I. R. lib. lib. 4. c. 6. reg. 14. exc. 8.* Sed inter eius replicat. numeratur & hæc, nisi hæreditatem nondum delatam repudiauerit, *M. I. C. d. except. 14. repl. 9.* Quæ replic. propositæ causæ inest: siquidem deliberante adhuc hærede instituto, non cõsetur hæreditas substituto delata, *M. I. C. d. repl. 9. vers. ite exemplum.* Sed contradicit huic comm. Dd. opinio, teste laf. his verbis: Hæres, si successurus infra tempus primi hæredis interrogatus, an velit succedere, dicat quod non, sibi præiudicat *Bapt. à Villal in com. opin. in lit. H. num. 11.* At *l. is qui 13. §. substitutus. ff. de adq. her.* contrarium asseritur his verbis: Substitutus si antè repudiet, quam institutus decernat de hæreditate, nihil valebit repudiatio. Quæ verba nihil habent obscuritatis. Itaque dicendum, replicat. propositam textu apertè probatam contra comm. Dd. opinionem admittendam, & pro Scio in causa proposita respondendum,

XCI. Cum Mauius ob homicidium à se commissum aufugisset, præfectus eius loci prædium eius fisco occupat. Mortuo Mauio præfectus prædium filiis Mauij restitui in testamento mandat. Idem etiam filia eius præfecti Berta, multos post annos moritura, ab hæredibus suis petit. Cuius fideicommissi Titius Mauij filius, cum diu fuisset absens, certior factus, venit, & prædium paternum petit. Queritur, quid iuris?

DISPUTATIO.

Titius intentionem suam fundatam habet in fideicommisso Bertæ: ideoq; ab hæredibus eius prædium possidentib. illud sibi restitui petit, & sententiam pro se obtinet. A qua sententia hæredes Bertæ appellant. In causa appellationis pro grauamine adducitur, quod pater Titii ante 30. annos decesserit, petitionem autem hæreditatis post 30. annos institui non posse. Cuius ratione prior sententia retractatur, & rei cõuerti à petitione Titii absoluuntur. Ab hac sententia Titius appellat, & pro grauamine producit, quod hæreditatis petitionem in iudicium non deduxerit, sed actionem ex fideicommisso Bertæ, cui nulla temporis præsc. possit obiici: cum Berta intra biennium decessisset. At huic actioni videtur

obstare exceptionem quod Berta prædium fisci frustra legauerit: cum reo fugiente bona eius fisco addicantur per ea, quæ habentur, *M. I. R. lib. 1. c. 9. reg. 10.* Sed hoc ius hodie per constitutionem Imperii abrogatum est, qua bona à fisco occupata iubentur post mortem banniti hæredibus eius restitui. Quibus rationibus iudex posterioris appellationis motus, sententiam primæ instantiæ confirmauit, secunda sententia cessata. Tantum interest, qua actione quis experiatur.

*XCII. Sempronius possidens hereditatem alienam, cuius usum fructum habebat, agrum ex ea vendidit. Hæres ex testamento asserens eam hereditatem ad se pertinere, agrum venditum in hereditatem, venditione rescissa, restitui petit. Ex aduerso testamentum dicitur iniustum. Nihilominus sententia fertur condemnatoria pro actore. A qua sententia Sempronius appellat, pro grauamine adducens, quod in causa minori sententia non sit ferenda, per quam maiori cognitioni præsertim hereditatis petitioni, præiudicium fiat. Quid approbatur per ea, quæ habentur, *M. I. C. lib. 2. cap. 23. quaest. 1. reg. 3. & M. I. R. lib. 5. cap. 1. reg. 87. exceptio. 14. replic. 1.* Qua ratione iudex appellationis motus*

sen-

sententiam contra Sempronium d. cessauit, cum per annos quindecim in causa processum fuisset.

XCIII. Mauiā filio suo in donationem propter nuptias dat prædium N. Post aliquot annos moritur filius relicta uxore & tribus liberis. Vidua iterat nuptias. Quare offensa Mauiā aduersus nurum, eiusque secundum maritum, de d. prædio instituit interdictum, vti possidetis, quasi in sua possessione prædij turbetur. Queritur, quid iuris?

DISPUTATIO.

Mauiā intentionem suam fundat in iure, quo nemo in sua possessione est turbandus: de quo cauet interdictum *vti possidetis*, & antiquiorem possessionem probat: qua probata præsumptio est, eam ad tempus turbationis esse continuatam per ea, quæ habentur *M. I. R. lib. 2. cap. 11. in ver. habitus*. Sed huic præsumptioni obiicitur exceptio probationis in contrarium. Constat enim ex actis, quod filius Mauiæ prædium litigiosum multis annis post eam ex causa donationis propter nuptias possederit, & quod illa possessio post mortem illius in viduam eius sit continuata, & ab ea, eiusque secundo marito tempore iudicii accepti & litis contestatæ prædium posses-

I. 5 sum:

sum : tantum abest , vt actrix prædium tempore litis contestatæ possederit. Quod utique requiritur in eo , qui interdicto *uti possidetis* , experitur , per ea , quæ habentur , *M.I.R.lib.3.cap.14.reg.71. except.6.* Itaque ad hoc interdictum non sufficit antiquior possessio , quam constet medio tempore penes alium fuisse. Quare in casu proposito contra actricem pro reis conuentis est respondendum.

X C I V. Titius Seio hereditatem paternam ab alio possessam vendidit , cumque Seius emptor eam à possessore peteret , litis estimationem pro ea accepit duplo maiorem , quam precium fuit , quod emptor venditori pro ea soluit. Quare cognita Titius venditor negat se hereditatem Seio vendidisse , & aduersus eam conditionem ex leg. Diffamari , instituit , vt aut agat , aut perpetuum silentium ei imponatur. Quæritur , quid iuris ?

DISPUTATIO.

Titius intentionem suam fundat in *d.l. Diffamari, C. de ingenuis & manumissis*. Seius citatus diffamationem non inficiatur , & instrumentum publicum super venditione sibi facta producit. Quo Titius non contentus , petit Seium ad agendum compelli.

PELLI. Seius contradicit, se nihil agendo persequi posse: Sufficere sibi actionis loco except. hæreditatis sibi venditæ ac cessæ, quam etiam instrumento probarit, cui, si quid Titius obiicere velit, paratum se esse litem suscipere. Respondi, quoniam is etiam agere dicitur, qui except. utitur, l. 1. ff. de except. Seium ab actione instituta esse absolendum.

XCV. Sempronius prædium suum Mauius pignori pro certo debito obligat in scriptura privata, postea non soluto debito Mauius persequitur pignus, & rescriptum Principis impetrat de pignore sibi restituendo. Tandem Sempronius idem prædium Scio pignori obligat, publico instrumento interueniente. Lis inter Mauium & Scium de prioritate oritur. Queritur, quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Mæuius intentionem suam fundat in iure, quo prior tempore potior censetur in pignore: de quo, *M. I. C. lib. 17. cap. 17. reg. 1. & M. I. R. libr. 5. cap. 5. reg. 40.* Cui à Scio obiicitur except. quod Mæuius sui pignoris privatam habeat scripturam, se autem sui pignoris publicum instrumentum. Quæ except. subsistit per ea, quæ habentur, *M. I. C. d. reg. 1. except. 30. & M. I. R. d. reg. 40. except. 7.* Sed elidi.

eliditur replic. hac, nisi prius pignus, eiusque tempus alio etiam modo, quam priuata scriptura possit probari, *M. I. R. d. except. 7. repl. 2.* Quæ replicatio causæ propositæ inest: cum constet Mæuium, antequam pignus Seio obligaretur, pignus suum fuisse persecutum, & rescriptum Principis super eo impetrasse, cum itaque replicatio proposita tam iure, quam facto subsistat nec qua duplicatio elidi queat, videam, censeo Mæuium in pignore litigioso potiore esse.

XCVI. Seius per fundum Sempronij iter habet ad suum fundum. Mæuium per idem iter ire volentem prohibet. Queritur, an iure possit?

Mæuius intentionem suam fundatam habet in iure, quo dominus prædii seruitutis aliis etiam per idem prædium seruitutem concedere possit: de quo agitur, *M. I. C. lib. 8. cap. 2. except. 11.* Ex quo colligitur, si domino loci seruiantis ius est, etiam alii seruitutem concedendi in eo loco, quod is, cui seruitus debetur, alium eodem iure vti prohibere non possit. Cui accedit, *M. I. C. lib. 25. c. ultim. in verb. Ladere alium; reg. 9.* Dicendum itaque, Seio ius non esse prohiben-

hibendi Mæuium ire per locum, in quo sibi iter debetur.

XCVII. Sempronius per fundum Titij viam habet, qua per triginta annos usus non est. Titius fundum suum munit, quo via impeditur. Queritur, an Sempronio eius nomine actio aduersus Titium competat?

DISPUTATIO.

Sempronius fundatam habet intentionem in iure, quo is, cui seruitus debetur, dominum loci seruientis prohibere potest aliquid ædificare, quo seruitus impeditur: de quo, *M. I. C. li. 8. c. 6. reg. 10.* Ad hanc actionem elidendam Titius excipit, quod Sempronius via per triginta annos non sit usus. Ideoque se libertatem præscripsisse. Quæ exceptio, approbatur, *M. I. C. d. lib. 8. c. 3. caus. 10.* & causæ propositæ inest, nec, qua replicat. possit elidi, video. Respondeo itaque Sempronio actionem aduersus Titium esse denegandam.

XCVIII. Titius, habens fratrem Seium, qui ipsi ab intestato proximus hæres futurus erat, a Sempronio non blandis verbis, sed conuitiis animo Titij à fratre alienato persuasus, testamento factò Sempronium cum liberis suis heredem instituit, fratre exhædato. Queritur,

sur, an mortuo Titio ex eo testamento actio Sempronio, eiusq; liberis competat?

D I S P U T A T I O.

Sempronius intensionem suam fundat in testamento Titii. Cui à Scio defuncti fratre opponitur except. hæc, quod dolo Sempronii, & animo Titii in fratrem cõuitiis & iniuria alienato testamētum illud sit practicum. Siue autem factum, siue ius huius exce. negabitur, Scio incumbet eius probatio. Posito autem quod de facto constet, videndum, quib. legib. ius huius exce. possit probari. Est autem ius huius exce. seu maior propositio, q̄ ex testamento quod dolo hæredis instituti, & testatoris animo in hæredē ab intestato cõuitiis & iniuria alienato est practicum, actio danda non sit. Est quidē non prohibitum, sed cõcessum in iure blando sermone iudicium defuncti vltimum in se prouocare per ea, quæ habentur, *M. I. C. lib. 9. c. 8. exc. 51.* Sed ut hoc cõuitiis & cum iniuria alterius dolo malo fiat, cõcessum in iure non est. Sic enim *l. 1. ff. de dol. mal. exc.* Jurisconsultus ait; Idco Prætor hanc except. proposuit, ne alicui dolus suus per occasionem iuris civilis contra naturalem equitatem profuit. **Accedat**

dit *l. virum. 3. ff. si quis aliquem testari prohibeat: Exemplum vide Schurpff. cent. 3. cons. 4. lib. 19. n. 3.* Vbi metus & dolus æquiparantur, vt nihil intersit, vtrum quis metu coactus, an dolo inductus testamentum fecerit, vel id, quod factum est, non mutet. Nec in contractibus solum, sed etiam in testamentis dolus prohibitus est, *d. l. 1. v. Et quidem dolo, ff. de dol. mal. exc.* Quia contractus & vltima voluntas æquiratur, *M. I. R. lib. 1. c. 1. reg. 5. in ver. contractus.* Vt igitur contractus dolo initus nullius momenti est per ea, quæ habentur, *M. I. C. li. 15. c. 15. exc. 14.* sic etiam testamentum dolo & cum iniuria alterius practicum. Ex his constat, exce. propositam ipso iure esse approbatam, nec, qua repl. elidi queat, animaduerto: nisi forte obiiciatur liberis Sempronii simul cum patre hæredibus institutis dolum à patre commissum non obesse. Cum dolus vnus alteri non obsit per ea, quæ habentur, *M. I. C. lib. 24. c. 2. quest. 4. reg. 1. in princ.* Sed hæc replic. eliditur duplic. hac, nisi ex dolo vnus aliquid ad alterum peruenerit: hoc enim casu quemadmodum de dolo actio aduersus alterum, ad quem aliquid ex dolo alterius peruenerit, nõ denegatur, quamuis ipse

nihil

nihil dolo fecerit, *M.I.C. lib. 25. cap. 3. quest. sexta reg. 1.* ita etiam doli mali exceptio danda est. Cum iis, quibus datur actio, multo magis exceptio hæc danda sit, *l. iniuitus, 189. §. 1. ff. de reg. iuris.* & alterius circumuentio alii non præbeat actionem, *l. alterius, 49 cum sua glos. ff. eod. tit. l. si duo, s. in princ. ff. si quis cautionibus.* Ex his patet, nec Sempronio, nec liberis eius ex testamento Titii actionem esse dandam.

XCIX. Cum Seius Sempronium de delicto in se commissio suspectum haberet, aliquot argumenta suspicionis aduersus illum in iudicio proponit, quibus petit Sempronium respondere, paratus ea, quæ negasset probare, iisque vel confessis, vel probatis petit ei iuramentum purgationis deferri, & nisi iuramentum præstaret, petit illum in certam summam ob iniuriam illatam condemnari. At Sempronius ad argumenta proposita non respondet, sed reconuentionibus utitur, quibus causam protelet ac differat. Queritur, quid iuris?

D I S P U T A T I O :

Seius intentionem suam fundatam habet in iure, quo is, qui aliquem de aliquo delicto suspectum habet, nec sufficientem habet probationem, potest argumenta sus-
spicio-

spicionis contra eum in iudicio proponere, & petere, vt ille iis respondeat, vt vel confitendo se de delicto suspectum reddat, vel negata actor probet, vt iis confessis, vel probatis iuramentum purgationis reo deferatur, quo non iurante, is pro conuicto habeatur: de quo iure agitur, *M. I. R. lib. 1. cap. 6. in fi.* Cum autem in casu proposito Sempronius reus nec argumentis propositis respondeat, nec vllam exceptionem in iudicio opponat, qua intentionem actoris elidat, sed aliquot reconuentiones contra *l. siquidem, 10. C. de iniur. & l. 2. §. sed si agant, ff. de iud.* producat. Respondeo, quod in iure confessus, & articulis non respondens æquiparentur, per ea, quæ habentur, *M. I. R. libr. 2. c. 14. reg. 16.* ideoque reus non obstantibus reconuentionibus quæ ad finem litis sunt reseruandæ pro conuicto habendus in argumentis suspicionis aduersus eum productis, eique iuramentum purgationis deferendum: quo non præstito, ad summam petitam arbitrio iudicis moderandam sit condemnandus.

C. Sempronius, nulli certa arti deditus, nunc hanc, nunc aliam vitæ conditionem amplectitur,

tur, in nulla constanter permanens, suorum rerum profusor magnum as alienum contrahit sub magno scœnore, pro quo uxoris sue bona dotalia partim pignori obligat, partim in solutum dat, vel vendit, sua scœuitia uxorem ad nutum suum assuefacit. Demum magnis sumptibus cum duobus equis aliquoties in bellum proficiscitur. Tandem moritur relicta uxore & liberis tribus, nec non multo are alieno. Vidua cum liberis hereditatem eius confecto inventario adit, creditores defuncti mariti partim de bonis dotalibus sibi restituendis conuenit, partim ab iis ad as alienum soluendum conuenitur. Quæritur, quid iuris?

DISPUTATIO.

Argumenta à creditoribus conuentis & conuenientibus sex proponuntur: quorum primum est, viduam cum liberis hæredes defuncti esse. Ergo iisdem actionibus teneri, quibus tenebatur defunctus, *M. I. C. lib. 15. cap. 5. reg. 5.*

Alterum argumentum est, viduam & defunctum maritum esse reos debendi, quorum vterque in solidum teneatur, *M. I. C. lib. 16. c. 10. reg. 1. & 2.*

Tertium argumentum est, æs alienum in rem communem versum esse. Ergo ab
vtro que

vtroque soluendum, *L. li qui, 7. §. fi. C. Quod etiam eo, qui in aliena.*

Quartum argumentum est, iure municipalis seu statuti uxorem æs alienum mariti soluere teneri. *M. I. R. lib. 5. cap. 1. reg. 28. except. 4.*

Quintum est, quod vidua sua negligentia & hospitalitate, æs alienum contraxerit.

Sextum & vltimum argumentum est, quod bona paterna mariti defuncti sufficient ad æs alienum mariti soluendum. Quæ sex argumenta ordine, quo proposita sunt, discutiam.

Ad primum argumentum.

Ad hoc argumentum respondetur distinguendo. Si vidua, eiusq. liberi sine inuentario hereditatem defuncti adissent, ultra vires hereditatis conueniri possint. At confecto inuentario, hereditatem adierunt. Ergo ultra vires hereditatis conueniri non possunt, l. scimus, 22. C. de iur. de lib. Accedit Baptist. à Villal. in com. op. in lit. l. num. 96. in add. 1. Huic except. à creditoribus obiicitur repl. hac: Si vidua omnia mariti bona in inuentarium bona fide conscribi fecisset, procederet except. Sed illa non omnia bona mariti conscribi fecit. Ergo se indignam fecit beneficio inuentarii. Hac replic. tam in iure, quam in facto

deficit. Nam ius huius replicationis nulla speciali lege inuenitur approbatum: & expresse reprobatum apud Bapt. à Villa. in lit. H. num 8. Emanuel. Soar. in lit. I. nu. 174. Cach. decis. 181. nu. 11. cum seqq. De facto etiam non subsistit replicatio proposita: cum vidua non mariti, sed propria bona, vestes scilicet suas, aliamque suppellectilem à cognatis & amicis sibi donatam occultauerit: ne inter mariti bona describerentur. Est ergo primum creditorum argumentum per dict. except. inuentarij confecti satis refutatum.

Ad secundum argumentum.

Ad hoc argumentum similiter respondetur distinguendo hoc modo: si in persona vidua constitisset obligatio, argumentum procederet. At in persona vidua non constitit obligatio, triplici ratione: quarum prima est, quod mulier cum alio quid promittens, intercedere videatur, quamuis rem aliquam cum alio emerit. Ideoque SC. Velleiano defenditur l. vir vxori, 17. §. fin. in fi. ff. ad SC. Vellei. Altera ratio est, quod vxor fundum dotalem cum marito vendens, vel pignori dans non obligetur, l. vn. §. Et cum lex lulia, C. de rei vxoriæ act. Inst. Quibus al. non lic. in prin. adeo quidem, ut quamuis mulier in eodem consensu per biennium perseuera-

perit, adhuc tamen non obligetur, si nihil in bonis mariti sit, quo indemnis seruari possit, Nouel. 61. §. Enim uerò non simpliciter, item §. Et multò magis. Accedit Turz. op. 115. in prin. ibi: quod intellige. Tertia ratio ob quam uxor non sit obligata, est, quia metu ob mariti seuitiam consenserit. Ex his sequitur, uiduam in alienationibus & obligationibus rerum dotalium obligatam non esse. Ideoque ream debendi non rectè dici, per l. si ex duobus, 12. §. fin. ff. de duobus reis constit.

Ad tertium argumentum.

Ad tertium argumentum respondetur, negando eas alienum in rem communem uersum esse: eiusque treditribus incumbit probatio. Sed etsi probent, tamen requiritur, ut in rem communem uersum duret per leg. si pro patr. 10. §. uersum, ff. de in rem uerso: quorum neutrum probari potest: Nam quod creditores dicunt, defunctum ades in foro, quas uidua cum liberis inhabitat, emisse eius contrarium instrumento dotali potest demonstrari, quod socer uidua istas ades emerit, & filio in donationem propter nuptias dederit. Item constat reliqua bona immobilia, quae Sempronius cum uxore possederit, uxoribus bona dotalia esse, ut ne teruncius quidem

ex ere alieno in rem communem versus sit, quæ versus daret.

Ad quartum argumentum.

Hoc argumentum impertinenter adducitur ex statuto seu iure municipali, cum Sempronius nec mercator fuerit, nec pandschens, nec ad quicquam lucrandum, sed ad consumendum omnia fuerit aptus, id quod exitus demonstrat. Nec verum est, quod uxor ob vita consortium pro marito solvere teneatur, alioquin leges, ne uxor pro marito, frustra latae essent: cum matrimonium nihil aliud sit, quam maris & femina coniunctio, consortium omnis vite, &c. Li. ff. de rit. nuptiar.

Ad quintum argumentum.

Ad hoc argumentum similiter negando respondetur, cuiusque probatio creditoribus incumbit, quod vidua sua negligentia & hospitalitate intra duodecim annos ultra duo millia aris alieni contraxerit: cum praesumptio sit pro vidua, praesertim cum ultra quadriennium post mortem mariti rem domesticam administraverit, nec quidquam aris alieni contraxerit, licet interdum fratres ipsius, eam ut antea, accesserint.

Ad sextum argumentum,

Quod ad sextum & ultimum argumentum attinet, non quidem negatur, bona patris Sem-

pronij

pronii ad as alienum à Sempronio contractum
 soluendum sufficere. Sed in eo quaest. est, an bo-
 na ista pro are alieno Sempronij filij, qui ante
 patrem decessit, sint obligata? quod quidem
 à tutoribus liberorum Sempronii negatur ni-
 si quatenus patrem se pro filio obligasse consti-
 terit. Creditores autem affirmatiuam probare
 conantur duplici ratione; quarum prima est,
 quod pater Sempronii non nisi usumfructum in
 bonis istis habuerit, proprietate penes filium con-
 stituta. Altera est, quod filius hereditatem pa-
 ternam etiam non aditam, ad liberos suos trans-
 miserit. Ad primam rationem negando respon-
 detur, ad alteram distinguenda. Primam rationem
 creditores probare conantur hoc argumento,
 quod consuetudine loci uno ex coniugib. defun-
 cto, superstes bona in matrimonio acquisita non
 possit alienare, sed ea teneatur relinquere liberis
 eius matrimonii. Quae consuetudo non negatur.
 Sed ex ea non sequitur, quod propterea superstes
 coniunx in bonis istis solum usumfructum ha-
 beat: cum nemini res ~~seruiat~~ seruiat, l. in re com-
 mun. 25. in pr. ff. de seru. vrb. praed. Nec ex eo,
 quod quis rem alienare non possit, ususfructus
 constituitur, alioquin etiam pupillus, furiosus,
 prodigus, cui bonis interdictum est, & similes
 in rebus suis non nisi usumfructum haberent.

Sed nec heres, qui hereditatem post mortem suam alteri restituere rogatus est, nihil ex ista hereditate alienare potest, M. I. C. lib. 12. cap. 2. leg. 2. ob id dicitur usufructuarius, quemadmodum nec fideicommissarius dicitur propriarius, qui si ante conditionem existentem, hoc est, viuentis herede decesserit, nihil ex ista hereditate ad liberos suos transmittit, M. I. C. d. lib. 12. caus. 10. in prin. Sic nec pater, qui bona, constante matrimonio acquisita liberis suis post mortem suam tenetur relinquere, ob id usufructuarius dicendus est, nec penes liberos proprietatis est bonorum: cum & inuito patre non possint alienare, nec pignori obligare, nec in extraneum heredem transferre, imò ne ad liberos quidem suos transferre, si viuo patre moriantur, ut in secunda creditorum ratione, infra monstrabitur. Et pater de istis bonis inter liberos disponere potest, & pro iis in dotem dare, vel propter nuptias donare, & (quod plus est,) si nuptias iterat, potest in iis bonis unionem prolium constituere, & hoc modo ad liberos posterioris matrimonii ea etiam pro parte transferre. Imo ob necessitatem potest ea vendere, ut inde habeat alimenta. Quae omnia sunt contra naturam usufructus. Ex quibus manifestum est, nec patrem Sempronij in bonis constante matrimonio,

nis,

pro, adquisitis pro usufructuario habendum, nec filium Sempronium pro proprietario, nisi quatenus quilibet filius dominus dicitur paternorum bonorum in vita patris. l. in suis, 11. ff. de lib. & posthum. ob id tamen non minus pater filium potest exheredare, d. l. 11. Hac de prima creditorum ratione, qua probare conantur, bona patris Sempronij pro are alieno filij esse obligata, quamuis filius ante patrem decesserit. Altera ratio, quod filius hereditatem paternam non aditam ad suos liberos transmittat, aequè nullus est momenti: nam licet hoc verum sit, tamen non obtinet, si filius viuentis patris & sic ante delatam sibi hereditatem decesserit; de qua re supra in 86. responso dictum est.

Conclusio disputationis propositæ.

Ex his constat, difficultatem causæ propositæ non tam in iure, quam in facto consistere, scilicet, utrum vidua seuitia mariti ad eius nutum assuefacta, metus causa in alienationem bonorum dotalium consenserit: de quo in 2. argum. dictum. Quanquam etiam sine hoc, ob rationes sup. enumeratas, alienatio non subsistit. 2. an ad alienum in rem vidua sit versum, vel versum durauerit: de quo in 3. argum. dictum est. 3. an vidua sua negligentia & hospitalitate ad alienum, quod est duorum millium aureorum, con-

flauerit: de quo in s. argum. dictum. Quarum
 questionum prima quidem & vltima probatio
 viduae reliquarum duarum creditoribus incum-
 bit quibus probatis vel non probatis facilis est
 ad causam propositam responsio. Quibus accedit,
 q. 4. an scil. bona litigiosa viduae sint bona dota-
 lia à patre suo profecta.

NICOLAI VIGELII I.C.
 RESPONSORVM IVRIS,
 CENTVRIA II.
 I. C A V S A.

BERTA cum famulo suo pa-
 ciscitur de interficiendo marito
 suo, quatuor aureis ei mercedis
 nomine promissis, si calceos & pe-
 ram mariti tanquam signa interfecti adferret.
 Famulus domino uxoris propositum indicat &
 ab eo tanquam interfecto calceos & peram acci-
 pit: quibus uxori allatis quatuor aureos promif-
 sos ab ea consequitur. Quæritur qua pœna uxor
 Berta sit punienda?

D I S P U T A T I O.

Similis casus est, l. si quis 20. C. de furtis &
 inst. de obligat: qua ex delicto nascuntur §. sed
 etsi credat vers. unde illud. Vbi voluntas pro
 facto

facto punitur, & conatus pro effectu. Licet autem ius illud in criminalibus generali consuetudine sublatum esse dicatur, *M. I. R. libr. 1. cap. 7. except. 29. in princ.* tamen illa consuetudo distinguitur nisi is, qui crimē conatus est, illud non perfecerit, non quia noluit, sed quia non potuit, *M. I. R. d. exce. 29. repl. 7.* Quæ distinctio propositæ causæ inest, quia per Bertam non stetit, quominus maritus eius à famulo sit occisus, sed per famulum. Ideoque censeo Bertam in pœnam legis Iuliæ de Sicariis incidisse, & ultimo supplicio esse puniendam, idq; eo magis, quod consuetudines & statuta ita sunt interpretanda, ut quam minimum lædatur ius commune, *M. I. R. libr. 1. cap. 1. reg. 12.*

II. Titius emit lanam à Maudio precio quanti Seius eam aestimasset. Titius autem clam accedit Seium rogans ut lanam viginti aestimare velit, quod mandatum Seius suscepit, sed postea eam aestimat viginti quinque: quam summam Titius Maudio ex lege conventionis solvere tenetur. Quaritur an Titius aduersus Seium eo nomine habeat actionem?

DISPUTATIO.

Titius intentionem suam fundat in iure, quo

re, quo mandatarius qui fines mandati ex-
 cedit, mandatori in id quod interest, man-
 dati actione tenetur: de quo *M.I.C. lib. 19.*
cap. 13. quest. 1. caus. 5. Cui à Seio exceptio op-
 ponitur talis, quod mandatum fuerit tur-
 pe & contra bonos mores. Ideoque non
 seruandum. Cuius maior propositio ap-
 probatur, *M.I.C. d. lib. 19. cap. 12. q. 3. except. 4.*
 Minor constat ex eo quod Titius emptor
 dolo fecerit, & contra bonam fidem Se-
 ium instruendo de æstimatione rei vendi-
 tæ facienda. Cum igitur in mandando de-
 liquerit mandator Titius, non deliquit
 Seius, qui mandatum non est executus
exemplo l. 1. §. fin. cum. l. seq. ff. ne quis cum qui
in ius. Respondeo itaque Seium ab actione
 mandati esse absoluendum.

III. Titius & Seius heredes Sæpronij tran-
sigunt de hereditate ita ut Seius accepto certo
precio Titio totam hereditatem cederet, & Ti-
tius nihil ex ea venderet, nisi Seio eiusque hare-
dibus. Postea Titius necessitate coactus, rem ex
hereditate vendere volens eam obtulit Seio,
quo emere recusante eam vendidit Massio. Vnde
Seius actionem aduersus Titium instituit. Qua-
ritur, quid iuris?

D I S-

D I S P U T A T I O.

Selus intentionem suam fundatam habet in pacto inter se & Titium inuito de hæreditate Sempronii non vendenda, nisi ipsi Scio eiusque hæredibus. Cui actioni obiicitur exceptio hæc: quod reus actori rem obtulerit emendam, cumque emere noluisset, sibi licuerit rem alij vèdere. Quæ exceptio approbatur in simili casu, *M. I. R. lib. 5. c. 7. reg. 28. except. 2.* Sed replicando ex parte actoris obiicitur, Si vniuersam hæreditatem reus vendere voluisset, se eam redempturum fuisse. Cum autem vnam rē ex hæreditate vendiderit, id ei nō licuisse, nec se ad redimendum eam rem fuisse obligatum. Ius huius replicationis in controuersiam venit, an ex pacto reo non licuerit vnam rem ex hæreditate vendere, reliquis rebus sibi reseruatis. Cuius probatio ipsi actori incumbit. Ad probandū autem vtitur hoc argumento: Vēditor ex pacto reuenditionis, vel eius cognatus ex iure municipali non potest vnam rem ex pluribus emptore inuito retrahere, ergo nec emptor potest vnam rem ex pluribus inuito venditore vendere. Antecedens probatur, *M. I. R. lib. 6. cap. 1. question. 9. reg. 4.*

Consequens videtur probari hac regula
 Quod non debeat emptori non licere,
 quod venditori non permittitur: cum re-
 latiuorum idem ius sit. Sed alia ratio est in
 emptore, alia in venditore. Siquidem in-
 terest emptoris. Si venditor partem rei vē-
 ditæ, vel rem vnam ex plurib. retrahat, ne
 inuitus in cōmuniōne stare cogatur, vel si-
 ne ea hæreditatē empturus non fuisset. Ni-
 hil autem interest venditoris vtrum em-
 ptor totam rem vel partem eius vel rē ali-
 quam ex pluribus rursus distrahat. Itaque
 Seio deneganda est actiō, cū nihil sit quod
 ea persequi possit.

IIII. Manius Titio tradit aureum permittendum, & inter tradendum aureus è manibus utriusque delabitur per rimam, ut inueniri nō potuerit. Queritur vtrum Manij an Titij periculum vel damnum sit?

D I S P U T A T I O.

Respondetur eius esse damnum cuius aureus fuit, nisi culpa alterius probetur interuenisse. Quia domino rei, in qua damnum datum est, actio damni iniuriæ competit, non alii, si culpa alterius probari possit, *M. I. C. lib. 22. cap. 10. quest. 1. reg. 2. in pr.* Si autem culpa alterius probari nō possit,

fit, consequitur rem domino perisse, cui manis est actio. At in casu proposito dubitari potest, vtrius dominium aurei fuerit? Nam post traditionem dominium in accipientem fuit translatum. Quia autem non constat, vtrum traditio fuerit perfecta, de facto dubitatur & præsumitur contra dantem, quod dominium ab eo non recesserit.

V. *Caius & Manius milites societatem coierunt, ut quicquid lucri ex ea militia ad eos perveniret, id inter eos communicaretur. Caius propter singularem suam virtutem præter stipendium suum feudum quoque à principe belli ducè accepit. Queritur an illud etiam Manio communicare teneatur?*

DISPUTATIO.

Manius intentionem suam fundatam habet in iure, quo lucra inter socios sunt communicanda: de quo, *M.I.C. libr. 19. cap. 11. quest. 2. caus. 2.* Cui obstat exceptio hæc: Nisi non ex quæstu vel operâ socii, sed ex causâ lucratiua lucrum socio obuenerit, *M.I.C. dict. caus. 2. exception. 2.* Quæ exceptio propositæ causæ inest. Siquidem feudum gratis conceditur nullo iure cogente, *M.I.F. cap. 4. questio. 1. exception. 28.* quem-

quemadmodū ergo hæreditas obueniens nō est cōmunicanda, sic nec feudum. Quæ exceptio qua replicatione possit elidi non video, itaque respondeo reum Caium ab actione Mæuii esse absolendum.

V I. Stante consuetudine, qua mortua coniuge maritus superstes succedit illi ab intestato in bonis mobilibus, filius autem in rebus immobilibus, moritur Scia relicto Caio marito & filio Mæuio ex alio matrimonio & multis bonis mobilibus & immobilibus: de fructibus pendentibus questio oritur utrum ad maritum an ad filium pertineant?

Respondeo ad filium pertinere, quoniam fructus pendentes immobilibus annumerantur, *M. I. C. libr. 7. cap. 30. reg. 1. exc. 1. repl. 3.* refusis tamen marito expensis in fundum factis: quoniam fructus intelliguntur deductis expensis, *M. I. C. lib. 15. ca. 8. q. 2. reg. 1.*

V I I. Sempronius habet domum per vetustam, ruinosam, & parietibus omnino apertis, in qua vicina vidua filius trabes percurrit, delapsusque crura fregit. Queritur an Sempronius quasi occasionem damni dederit, lege Aquilia teneatur?

D I S-

D I S P U T A T I O .

Vidua de damno filio suo dato agens intentionem suam fundatam habet in iure, quo is, qui occasionem damni dedit, damnum fecisse dicitur: de quo, *M. I. C. lib. 22. cap. 9. quest. 3. caus. 53.* Quæ actio duabus exceptionibus eliditur, quarum vna est, quod filius actricis sua culpa damnatum senserit ascendendo trabes, *M. I. C. d. cap. 9. q. 4. except. 24.* Altera quod de damno infecto actrici nondum fuerit cautum: de qua *M. I. C. lib. 8. cap. 28. q. 11. reg. 1.* Quæ exceptiones quibus rationibus elidi queant non video. Itaque respondendum Sempronium ab actione instituta esse absolendum.

VIII. Caius vendidit fundum Seio, pactusque est de precio intra tres menses sine ulla exceptione soluendo. Postea apparet fundum venditum alienum esse, non venditoris. Quartus an Seius post tres menses elapsos de precio soluendo conueniri possit?

D I S P U T A T I O .

Seius contentus defendit se exceptione rei alienæ venditæ. Cui Caius actor opponit replicationem pacti de precio sine ulla exceptione soluendo. Quam elidit reus duplicatione hac quod pactum gene-

L tale

rale de nulla exceptione opponenda inutile sit. Quæ duplicatio approbatur, *M. I. R. lib. 5. cap. 11. rog. 4. repl. 2. dupl. 7.* Cui quid obijci possit non video. Itaq; respondendum reum, si non alia replicatione actor utatur, esse absolueudum.

IX. Titius Sempronia promissit se eam in uxorem ducturum si pateretur se cum ea coire. Annuit illa. Queritur an Titius eam in uxorem ducere teneatur.

D I S P U T A T I O.

Sempronia intentionem suam fundat in actione ex stipulatu. Cui à Titio reo opponitur exceptio, quod stipulatio sub turpi conditione facta non sit obligatoria, *M. I. C. lib. 16. cap. 3. except. 28. & lib. 25. cap. 11. qu. 1. except. 1.* At conditionem si pateretur se cum coire turpem esse. At exceptio hæc distinguitur iure canonico nimirum, *c. vlt. in fin. de condit.* appositis ubi stipulatio ista favore matrimonii confirmatur. Proinde dicendum reum Titium exceptione proposita nõ obstante condemnandum esse:

X. Titius Seio lapide in quadam turba vulum eruit, postea in eadem turba Seius ab alio est occisus. Queritur an Titius de damno dato Seij heredibus teneatur? Respondeo quod non

per

per leg. si veros. §. hac autem in fine, ff. de his quideiecerint. vbi dicitur: Quod in corpore libero damni datur, iure hæreditario trãsire ad successores non debet, quasi non sit damnnum pecuniarum.

XI. Caius faber lignarius conduxit domum Mæuij per uotustam reficiendam, omnibusque preparatis, cum ruinosos parietes tolleret, domus corruit. Queritur an merces promissa Caio à Mæuio debeatur?

DISPUTATIO.

Caius intentionem suam fundatam habet in actione conducti, qua locator cõductori ad mercedem constitutam soluendam tenetur: de qua, *M. I. C. lib. 19. cap. 7. quest. 1. caus. 3.* Cui à Mæuio reo opponitur exceptio hæc, quod opus conductum non sit absolutum, *M. I. C. d. caus. 3. except. 1.* Replicat actor Caius, quod per se non stet quo minus sit absolutum, *M. I. C. dict. except. 1. repl. 1.* Assumptum negat Mæuius reus dicens culpa conductoris domum corruisse, qui parum diligenter eam fulciebat. De facto non de iure dubitatur vtrum culpa cõductoris domus reficienda corruerit, nec ne? Cuius probatio ipsi reo

L 2 Mæ

Mæuius tanquam affirmanti incumbit. Quo non probato reus est condemnandus, si non insolidum, saltem in æstimationem eius quod factum est.

XII. Seius fatuus vixit fratris T. mensa, eumque in re familiari augenda & conseruanda suis laboribus quotidie iuuit plurimum. Moritur tandem Titius cumque Seius constituisset ab heredibus defuncti fratris salarium pro suis laboribus in eius negotiis exhaustis petere, moritur & ipse. Queritur cum nihil de mercede, neque de salario conuenisset, an aliquid eius nomine heredes Seij ab heredibus Titij petere possint?

Respondi si nihil certi frater fratri salarii vel mercedis nomine promississet, nec ordinaria actione, neque extra ordinem hæredes Seii quidquam petere posse. *l. Qui mutuum 56. §. si. ff. mandati l. salarium 17. Cod. eodem tit. & videtur Seius pietatis vel alimentorum causa fratri laborasse: Vnde nec negotiorum gestorum actionem habuit, M. I. C. lib. 20. c. 6. q. 1. except. 5.*

XIII. Puer habens in toga centum thaleros, abiicit eam cum pecunia in rhedam currentem exoneraturus alium in via, rogans mulierem, que in rheda uehebatur, ut togam custodiret. Verum reuersus, vidit togam delapsam, eam in
via

via querit, sed non inuenit. Queritur an & qua actione aduersus mulierem agere possit?

DISPUTATIO.

Si mandati competeret actio, haud dubie mulier de leuissima etiam culpa tene-
retur, *M. I. C. lib. 19. cap. 13. quest. 1. caus. 1.* At
hæc actio non competit, si negotium in a-
liam contractus speciem cadit, *M. I. C. d. lib.
19. cap. 12. q. 3. exce. 3.* Relinquitur ergo quod
non nisi Depositi actione sit agendum, in
quam solus dolus depositarij vel lata culpa
venit, *M. I. C. libr. 17. cap. 7. quest. 2. caus. 7. exc.
1. repl. 1. cum seq.* Dolus autem ex eo videtur
conijci, quod puer recurrens in eadem via
togam non inuenit, nec quisquam alius
eò tum temporis commeauit. Quod iudi-
cis arbitrio est relinquendum.

*XIIII. Sempr. cum Titio ex causa mutui de-
beret decem aureos, soluit eos Mauio creditori
Titij, quasi illi à Titio mandatum esset, ut eam
pecuniam à Sempranio exigeret. Queritur
cum nihil Mauio à Titio mandatum fuit,
an Semp onius per solutionem istam à Titio sit
liberatus?*

DISPUTATIO.

Titius replicando aduersus solutionis
exceptionem intentionem suam fundat

in iure, quo solutio alii quam creditori facta soluenti non prodest ad liberationem: de quo, *M. I. C. lib. 24. cap. 8. in prin.* Cui Sempronius duplicando obiicit, quod Titius actor Mævio, cui solutio facta est, tantum debuerit, & sic per istam solutionem à Mævio creditore suo sit liberatus. Quæ duplicatio approbatur, *M. I. C. dict. cap. 8. replic. 8.* Quæ duplic. qua ratione elidi possit non video. Ideoq; respondeo Sempronium ab actione Titii esse absolendum.

XV. Stante consuetudine, qua marito ususfructus in bonis defunctæ uxoris debetur, proprietate penes cognatos existente: moritur Berta relicto marito Mævio & fratre Seio, nec non bonis maternis, in quibus pater defunctæ ususfructum habet. Queritur mortuo patre & sic in persona eius ususfructu bonorum maternorum extincto, utrum ususfructus illorum bonorum ad Mævium Berta prædefunctæ maritum pertineat, an cum proprietate, quæ est penes fratrem Seium consolidetur?

D I S P U T A T I O.

Seius proprietarius intentionem suam fundatam habet in iure, quo extinctus ususfructus ad proprietatem reuertitur: de quo, *M. I. C. lib. 7. cap. 28. in prin.* At contra Mæ-

Mæuius maritus intentionem suam fundat in consuetudine, qua ususfructus bonorum vxoris defunctæ marito debetur. Verum consuetudo hæc videtur intelligenda de bonis, in quibus vxor mortis tempore plenum habuit dominium. At Berta non nisi proprietatem in bonis maternis tempore mortis habuit, ususfructu penes patrem constituto, nec usumfructu, quem non habuit, ad maritum potuit transferre, & alias consuetudines atq; statuta ita sunt interpretanda, vt quæ minimum ius commune legatur, vt supra ostensum. Respondet itaq; usumfructum, de quo queritur, cum proprietate esse consolidatum, nec ad Mæuium maritum pertinere.

XVI. Stante statuto quod vxor defuncto marito in rebus mobilib. & liberi in immobilibus ab intestato succedat: moritur Semp. relicta vxore & duob. liberis, nec non annuo redditu in ciuitate Antuerpiensi. Queritur si in loco statuti annui redditus pro reb. mobilibus, in ciuitate vero Antuerpiensi p immobilib. habeantur, vtrū isti ad vxorē defuncti, an ad liberos pertineant?

Huius quæstionis resolutio patet ex iis, quæ cent. 1. decis. 9. & cent. 3. decis. 49. allegaui, quo me breuitatis causa refero.

XVII. *Titius poculum argenteum Manij: à fure bona fide emerat, cumque dominus Mauius illud ab eo vendicare vellet, casu apprehendit furem venditorem, eique persuadet, ut poculo recepto sibi precium quo emerat restitueret: nihilominus Mauius rei vendicationem aduersus Titium de poculo instituit. Queritur, quid iuris?*

D I S P U T A T I O.

Mauius actor intentionem suam fundatam habet in iure, quo is qui dolo desit possidere, pro possessore sit condemnandus: de quo, *M. I. C. lib. 7. cap. 5. quest. 1. except. 13. repl. 1.* agitur. Titius reus negat se dolo desisse possidere. Causa in eo consistit, An Titius in dolo fuerit, rem furi restituendo, ut precium reciperet? Præsumptio pro actore est: quia reus sciens controuersiam sibi de poculo motum iri, illud furi restituit, & sic dolo possidere desit. Quæ præsumptio eliditur alia præsumptione, quod nihil dolo creditor faciat, qui summi recepit: de quo, *M. I. C. lib. 25. cap. 14. quest. 5. except. 3.* Præsertim cum illud ab actore nõ fuisset recepturus, *M. I. C. d. cap. 5. qu. 6. reg. 7. except. 1.* & melius sit occurrere in tempore, quam post exitum vendicare. *l. 1. C. quãdo li-*

quod licet unicuique sine iudice. Qua ratione motus respondeo reum à dolo esse excusatum, ideoque absolvendum.

XVIII. *Seius cum agrum suum Titio pignori pro decem obligatum decem oblati redimere vellet. Titius rogat, ut permittat Seius vnum adhuc fructum in agro serere, quo ablato se illum ad pignoris luitionem admissurum, annuit Seius. At Titius glandes sevit. Queritur an non nisi arboribus ex glandibus natis ablati Seius pignoris luitionem habeat? Respondi pactum de manu satis ad ea, quæ in perpetuum sata sunt, quales sunt arbores non pertinere. ex l. cum manu 80. in princ ff. de contrah. emp.*

XIX. *Maius Seio prædium vendidit ducentis aureis idque ei tradidit precio non soluto. Mox Seio emptori à tertio movetur controversia. qua pendet triginta annis, tandem Seius absoluitur. Maius eo absoluto. Petit precium ducentorum aureorum cum usuris triginta annorum. Quæsitum est de usuris, cum eas venditor non sit stipulatus, nec emptor in mora solvendi fuisse dici possit: cum exceptione litis sibi mota tutus fuerit?*

Respondi: quia Seius medio tempore prædio usus est, & fructus ex eodem perce-

L 5 pit,

pit vsuras precii soluere non recte recusat,
Iuxta *M. I. C. lib. 18. c. vlt. q. 3. reg. 2. exc. 1.*

*XX. Moritur Sempronius relicta Berta sorore & duobus ex prae defuncto fratre Scio nepotibus Titio & Manio, item ex alio fratre prae defuncto tribus nepotibus nec non pluribus bonis allodialibus & feudalibus. Queritur de successione, utrum in stirpes an in capita succedant? Respondi: in allodialibus nepotes ex fratribus cum sorore defuncti in stirpes succedunt, *M. I. C. li. 10. c. 10. reg. 4. exc. 1.* Sed in feudalibus à quibus soror defuncti excluditur, succedunt in capita, *M. I. C. d. reg. 4. except. 2.**

*XXI. Quidam comes filios non habens, sed tantum filiam unicam, impetrauit ab Imperatore, ut filiam illam comitatu suo inuestiret, mortuo eo adgnati petunt comitatum, contradicit filia defuncti. Queritur an inuestitura filia ab Imperatore facta praedicit agnatis? Respondetur quod non, dummodo comitatus sit feudum antiquum, *M. I. F. c. 4. q. 2. reg. 1. except. 6. repl. 3. dupl. 1. & ca. 5. q. 1. caus. 37. except. 25. repl. 1.* In quibus locis nulla de quaestione proposita controuersia apparet. Quamquam de huiusmodi causa ultra quinquaginta annos est litigatum.*

XXII. Titius pradium Manij à non domi-

no, quem dominum esse putabat, bona fide emis, ac traditum accepit. Postea Mauius idem pradiū Titio legat. sed in testamento minus solenni & iniusto. Caius Mauij heres illud à Titio vendicat. Titius exceptione pradij sibi à Mauijo legati se defendit. Replicat aëtor Caius testamentum, in quo legatum relictum est, iniustum esse, ex quo legatum nō debeat. Quæritur, quid iuris?

• D I S P U T A T I O.

Caius replicando intentionem suam fundat in iure quo ex testamento iniusto legatum peti non potest: de quo agitur, *M. I. C. lib. 12. c. 6. exc. 86.* & *M. I. R. lib. 4. c. 9. except. 38.* Quod ius distinguitur quo ad exceptionem: Licet enim ex testamento iniusto nō detur actio, per exceptionem tamen retineri potest legatum in testamento iniusto relictum. *M. I. R. d. except. 38. repl. s.* Qua distinctione Titius reus propositam aëtoris replicationem duplicando potest elidere. Quæ duplicatio nulla quidem lege specialiter inuenitur approbata, attamen nititur iure generali; quo naturalis obligatio, quæ actionem non parit, prodest tamen ad exceptionem, *M. I. C. libr. 15. cap. 1. vers.* Tertium naturalis obligationis.

Nam

Nam natura æquum est, ultimam testatoris voluntatem, quamvis ius civile deficiat, conseruari. Cum itaque duplicatio Titii ipso iure & facto subsistat, nec vltiori aliqua distinctione elidi queat, dicendum erit reum ab actione instituta esse absol- uendum.

XXIII. Mauius inuestiuit Seium eiusque liberos de feudo Titij sub hac conditione, si Titius sine herede decesserit, atq; ita feudum fuerit a- peritum, postea moritur Seius viuo adhuc Titio, & sic conditione pendente, tandem moritur et- iam Titius sine herede. Quo mortuo, Mauius Sempronium de eodem feudo inuestit, idque ei tradit. Queritur an liberis Seij eius feudi no- mine aduersus Sempronium vel Mauium ali- qua competat actio?

D I S P U T A T I O.

Rei vindicatio liberis Seij aduersus Sempronium non competit: quia inuesti- tura non transfert dominium, sed tradi- tio. Itaque vt in venditione, sic etiam in feudo is potior est in acquirendo domi- nio, cui res primum tradita est, licet poste- rior sit in inuestitura, *M.I.R. lib. 3. ca. 13. reg. 18.* Aduersus Mauium dominum Seio si adhuc viueret, actio ad interesse compe- teret,

teret, *M. I. F. cap. 4. quest. 4. reg. 1. except. 2.* An autem actio ista Seio mortuo liberis eius competat, dubitari potest, sed non vt legatum legatario pendente conditione mortuo expirat, ita etiam inuestitura, *M. I. F. ca. 4. quest. 1. except. 22.* Quia inuestitura contractus est, qui non expirat, quamuis stipulator, vel promissor ante conditionem existentem decesserit, *M. I. C. lib. 16. cap. 3. exce. 37.* Dicendum itaque liberis Seii aduersus Mæuium actionem ad interesse non esse denegandam: nisi aliud consuetudine sit receptum.

XXIII. Seius cum pro Titio in centum fortis & usuras fideiussisset, ac conuentus à creditore soluere esset coactus. Queritur an quoad usuras mandati actio ipsi aduersus Titium sit danda?

D I S P U T A T I O.

Seius intentionem suam fundatam habet in iure, quo fideiussor mandati actione contraria id quod pro debitore soluit, repetere potest: de quo, *M. I. C. lib. 21. ca. 3. q. 1. in princ.* Cui quoad usuras videtur obstare exceptio hæc, quod fideiussori hæc actio sit deneganda, si tutus exceptione nihilominus soluit, *M. I. C. d. quest. 1. except. 7.* Nam
cum

cum usuræ iure sint prohibitæ, *M. I. R. lib. 1. cap. 13. crim. 13. reg. 1.* exceptionem potuit opponere, qua aduersus solutionem usurarum tutus fuit. Sed quia statuto quod de facto seruatur, usuræ sunt permissæ, excusatur fideiussor si propter suam existimationem & ad exonerandam conscientiam suam dictam exceptionem opponere noluit, *M. I. C. dict. except. 7. replic. 5.* Quæ replicatio qua ratione elidi queat non video. Itaque dicendum videtur Seio aduersus Titium actionem denegandam non esse.

XXV. Berta habens litem cum Caio de hereditate paterna filium suum Manium sedecim annorum misit ad transigendum de tali causa, qui transigit cum Caio, ut mater Berta acceptis quingentis aureis liti renunciaret. Quæ transactionem Berta ratam non habet, tanquã ea enormiter laesa. Inde filius Mæuius aduersus transactionem se in integrum restitui petit. Queritur, quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Mæuius intentionem suam fundatam habet in iure, quo minoribus viginti quinque annis læsis per in integrum restitui-

stitutionem subuenitur : de quo, *M.I.C. libr. 25. cap. 4. question. 4. in princip.* Cui videtur obstare exceptio hæc, quod Mæuius non suo, sed matris suæ nomine transegerit; de quo, *M.I.C. dict. question. 4. exception. 24. agitur.* Cuius exceptionis neque ius neque factum negari potest, sed distinguipotest si minor ex eo, quod gessit, damnum passurus est, *dict. exception. 24. replicat. 1.* Quæ distinctio seu replicatio propositæ causæ inest, siquidem læsio matris in hæreditate paterna vergit in damnum filij, qui aliquando matri est successurus. Itaque hac replicatione dicta exceptio potest elidi, nec qua ratione rursus distinguipotest video. Itaque respondeo Mæuium aduersus transactionem in integrum esse restituendum.

XXVI. Moritur Titius relicta uxore & fratre Sempronio, qui à vidua defuncti hæreditatem petit : vidua excipit consuetudine loci hæreditatem sibi deberi : qua consuetudo ab actore negatur. Vidua rea aliquot exempla proponit, quibus maritus uxori, & contra uxor marito successerit, & super iis testes aliquot producit, qui de istis exemplis deponunt, quod sint vera. Vtrum autem

con-

*coniunx coniugi ex testamento, vel ab intestato
successerit, testes deponunt se ignorare. Quaeritur an consuetudo satis sit probata?*

D I S P U T A T I O.

Regulariter quidem materia probationum in arbitrio iudicis est, *l. 3. ff. de testibus, cum aliis pluribus*. Sed communis opinio est, quod non sufficiat factum probare, nisi etiam qualitates adiectæ probentur, per ea, quæ habentur, *M. I. R. lib. 2. cap. 9. reg. 12. except. 10*. Verum præterquam, quod hoc consuetudine muratum est, ut ex *d. except. 10*. apparet, etiam in casu proposito non obtinet: cum enim non probatur defunctum fecisse testamentum, præsumitur hoc ipso, quod intestatus decesserit: quæ præsumptio à probandi onere releuat, præsertim cum negatiuæ naturali ratione probatio nulla sit. *l. assueveratio 10. C. de non numerata pecunia*. Proinde quamuis testes in casu proposito non deponant, quod coniugum alter alteri ab intestato successerit: tamen cum hoc præsumatur, sufficere puto, quod deposuerint alterum alteri successisse, nec constet, quod defunctus testamentum fecerit. Respondeo ergo consuetudinem in casu proposito satis esse probatam.

Idem

Idem argumentum tractat *Schwarffius*,
sed in contrarium cent. 2. cons. 19. & cons. 32.

*XXVII. Cum Titius feudū à Mauiō reco-
 gnosceret. fecit illi pactam, ut si sine liberis ma-
 sculis decederet. feudum illud ad Mauium domi-
 num reuerteretur. Postea cum liberos mascu-
 los non haberet feudum illud vendidit Sempro-
 nio qui etiam à Mauiō domino est inuestitus,
 nulla tamen in inuestitura heredum mentione
 facti. Tandem mortuo non solum Titio, sed etiā
 Sempronio Semprony filius Seius petit renoua-
 tionem inuestiturae à Mauiō domino: qui tamen
 inuestituram ei denegat, & feudum sibi restitui
 petit. Quæritur, quid iuris?*

DISPUTATIO.

Mæuius intentionem suam fundat in
 pacto sibi à Titio facto, quo conuenerat, ut
 Titio sine hæredibus masculis mortuo,
 feudum ad Mæuium dominum rediret.
 De facto constat, sed Seius excipit, quod
 Mæuius ab illo pacto recesserit, cum Sem-
 pronium Seii patrem, qui illud à Titio e-
 merat, inuestierit. Replicat Mæuius actor,
 quod in inuestitura Sempronio facta nul-
 la hæredum mentio facta sit. Ergo illud
 feudum ad filium Sempronii Seium non
 pertinere. Reus consequens negat. Lis ori-

M tur

tur de replicationis iure, an ob id, quod nulla hæredum mentio in inuestitura facta sit, feudum ad filium inuestiti non transeat? Præsumptio est contra Mæuium actorem, *ex l. si pactū 9. ff. de probat.* vbi in dubio quis non solum sibi, sed etiam hæredibus suis pacisci præsumitur. Accedit, quod in inuestitura facta sit mentio zum rechten **Manlehen** / quod sine filiis non intelligitur. Accedit item quod non sit verisimile, Sempronium feudum empturum fuisse, si in illud liberi sui non essent successuri. Ex quibus patet, replicationem actoris ipso iure deficere. Itaque dicendum Serium reum ab actione Mæuii instituta esse absoluehdum.

Idem argumentum tractat *Schurffius; cent. 2. conf. 34.*

XXVIII. Titius cum pro Manio apud Sempronium in ducenta fideiussisset; Sempronium aliquoties interpellauit, ut debitum à Manio exigeret, antequam is soluendo esse desineret. Quaritur si Sempronius negligens sit in exigendo debito, & interim Manius soluendo esse desierit, an Titius tanquam fideiussor conueniri possit.?

Dis-

D I S P U T A T I O.

Sempronius aduersus Titium agens intentionem suam fundat in iure, quo fideiussor pro debitore conueniri & ad soluendum cogi potest: de quo, *M.I.C. lib. 27. cap. 1. cum duobus seqq. M.I.P. lib. 5. cap. 7. reg. vigesimo nono. cum seq. & M.I.R. libr. 5. capit. 9. reg. 1. cum duabus seqq.* Cui à Titio res opponitur exceptio hæc, quod aliquoties admonuerit actorem de Mæuio ad soluendum interpellando, sed frustra. Itaque ab actione instituta se esse absoluendum. Ius huius except. ab actore negatur. Quæstio oritur utrū fideiussor liberetur, si eo momento creditor in interpellando debitore & debito exigendo negligens fuerit? Cuius probatio Titio tanquā suæ except. incumbit. Sed *M.I.C. d. c. 1. q. 2. exc. 42.* exceptio ista reprobatur. A Dd. distinguitur vt videre est, *M.I.R. d. reg. 1. except. 30.* vbi in fideiussore indemnitas admittitur *ex leg. si fideiussores in id ff. de fideiussoribus.* Alias in simplici fideiussore except. istam non facile admittendam esse censeo. Cum *lex d. exc. 42.* in contrarium extet, nec aliqua lex specialis pro ista exceptione adducatur. Idq; eo magis censeo, quod aduersus ipsum debi-

debitorem, qui soluendo esse desinere incipit, fideiussori non denegatur actio, *J. Lucius 38. in fi. ff. mandati*. Itaq; dicendum Tit. exceptione opposita non obstante esse cōdemnandum.

XXIX. Caius minor 25. annis vendidit pradium suum sine decreto iudicis, & iuravit non venire contra istum contractum: Postea maior annis factus pœnitet illum istius contractus, & petit sibi pradium ab emptore restitui. Queritur, quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Caius duplex remedium habet ad pradium venditum sibi restituendum: Primū quod fuerit minor 25. annis cum venderet. Alterum quod sine decreto magistratus vendidit. Vtrumq; contra emptorem cumulat. Emptor opponit exceptionem, quod Caius iuravit non venire contra cōtractum. Quæ exceptio approbatur, *M. I. R. lib. 5 cap. 13. reg. 18. except. 16*. Sed eliditur replic. hac; Quod quamuis in integrū restitutio illi ratione iuramenti denegetur tamen nihilominus illi supersit actio ex eo, quod sine decreto magistratus venditio facta sit, *M. I. R. d. except. 16. repl. 6*. Quam si urgeat Caius, emptor illi condemnandus est,

est, nisi non solum ratione ætatis beneficio, sed & alii mediante iuramento renunciauit.

XXX. Manius cum recognosceret feudum à Seio, stipulatus est post mortem suam eius feudi ususfructum uxori Berta tanquam heredi suo, postea mortuo Seio, item Manio Sempronius heres Seij feudum illud ad se reuersum concessit Titio, ignorans defunctum patrem suum ususfructum istius feudi Berta promississe. Queritur si Berta ususfructum feudi à Sempronio petat, an is præstando interesse ab ea liberetur?

D I S P U T A T I O.

Berta intentionem suam fundatam habet in iure, quo aliud pro alio inuito creditore solui non potest, de quo, *M. I. R. lib. 5. cap. 12. reg. 5. except. 6.* Cui à reo Sempronio obiicitur exceptio hæc. Nisi ad factum obligatus id quod actoris interest solvatur, *d. except. 6. repl. 9.* Cuius exceptionis actor negat minorem propositionem. Causa in hoc consistit, utrum stipulatio ususfructus in dando, vel in faciendo consistat? Cuius probatio ipsi reo tanquam suæ exceptionis incumbit. Probat autem argumento, *l. ubi autem 75. vers. Fundi certi ff. de verb. ob-*

M 3 ligat.

ligat. l. Qui usufructum §. si. ff. de usufructu & quemadmodum l. si usufructus mihi in biennium ff. de usufr. legato. Itaq; dicendum reum præstando æstimationem seu interesse usufructus promissi liberari.

Idem argumentum tractat Schurff. cent. 2. conf. 38.

XXXI. Caius cum tutor datus esset liberorum Titij, nec Inventarium confecit rerum pupillarium, nec rationes ut debet reddis. Queritur an adversus eum in litem iurari possit? Respondeo quod sic. Alia iure 4. C. de in litem iurando.

Idem argumentum tractat Schurff. cent. 2. conf. 41.

XXXII. Titius numeratarius Scio centum accepit ab eo chirographum de ista summa, postea non numeravit, & Scius intra biennium moritur. Post decennium Titius adversus Manium heredem Scij certi conditionem ex testamento instituit. Queritur, quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Mæulus reus conuentus intentionem suam fundat in exceptione non numeratæ pecuniæ: de qua, *M. I. R. lib. 5. cap. 11. reg. 21.* Replicatur ab actore Titio quod exceptio ista post biennium frustra opponatur
d. reg.

d. reg. 21. replicat. 6. Quam replicationem solidit reus duplicatione hac nisi reus probet numerationem non esse factam *d. repl. 6. duplic. 4.* Vbi tamen duplicatio hæc controuertitur. Sed sustineri potest hac ratione quod probatio cōtraria probatione potest infirmari, *M. I. R. lib. 2. c. 9. reg. 12. excep. 2.* At chirographum debitoris non nisi post biennium vim probandi habet. Ideoque si reus ante biennium numerationem factam esse neget creditor alio modo quam per chirographum numerationem tenetur probare. Quia huiusmodi chirographa sæpè dari solent spe futurae numerationis, quæ postea nō sequitur. Itaq; post biennium demum creditor ab hoc onere probandi releuatur, & illud in debitorem transfertur. Probatio autem in contrarium fieri potest si debitor ante elapsum biennium conquestus est sibi pecuniam non esse numeratam, vel creditor coram quibusdam id confessus sit: quo casu exceptio non numeratæ pecuniæ durat triginta annos, *Schurffius centuria secunda consil. 42. vers.* Et illa exceptio non numeratæ. Planè creditor, qui biennii præscriptione se tuetur, iusiurandum pecuniam

numeratam esse sibi à debitore delatum prestare non cogitur, *M.I.C. libr. 24. cap. 4. quest. 4. in fine.* cum illi sufficiat probatio quæ contraria probatione infirmari nequit, *M.I.R. lib. 3. cap. 15. reg. 11. except. 6.*

Idem argumentum tractat, *Schurff. consil. 42.*

XXXIII. Titius cum haberet filium Seium & filiam Bertam, huic dotem dedit, qua accepta hereditati paternæ, maternæ & fraternæ mediante iuramento renunciauit, sub hac tamen conditione nisi contingeret patrem ipsius & fratrem nullis heredibus masculis post se relictis decedere. Postea moritur pater Titius relictus post se filio Seio, qui etiam tadem moritur nullis heredibus masculis post se relictis, sed duabus filiabus Scia & Anna. Queritur an Berta renunciatione non obstante hereditatem paternam pro dimidia parte petere possit?

P I S P V T A T I O.

Berta intentionem suam fundatam habet in iure, quo filia cum fratre patri ab intestato succedit: de quo, *M.I.R. lib. 4. cap. 6. reg. 2. in princ.* Cui iuri filia fratris obiiciunt hanc exceptionem quod actrix hereditati paternæ renunciauerit. Quæ exceptio approbatur, *M.I.R. d. cap. 6. post reg. 9. except. 5. ne ali*

perali 3. repl. 3. dupl. 2. Cui ab aëtrice replicatio opponitur, quod renunciatio facta sit sub hac conditione nisi contingeret fratrem nullis hæredibus masculis post se relictis decedere: quo casu ius successionis sibi reservauit. Quæ replicatio propositæ causæ inest. Sed duplicando eliditur hoc modo, quod non solum conditio concepta sit in personam fratris, sed etiam in personam patris, in cuius persona conditio defecerit: cum is filio seu hærede masculino relicto decefferit. Jam autem indubitatiuris esse quod si sub duabus conditionibus copulatiuè quid contractum sit, nõ sufficiat vnam existere, si altera defecerit, *M. I. Gl. 1. 4. cap. 1. quest. 3. reg. 1. except. 11. & M. I. R. lib. 4. cap. 10. reg. 40. except. 6.* Huic obstat triplicatio hæc. Nisi alia fuerit mens patris *M. I. C. d. except. 11. repl. 3.* De minore propositione huius triplicationis quæstio est. An alia fuerit mens patris. Probatür autem *d. repl. 3. ex l. hæredis mei 57. §. cum ita ff. ad SC. Trebellianum.* Cui in casu proposito puto adquiescendum, & secundũ Bertam aëtricem respondendum.

Idem argumentum sed in contrarium tractat, *Schurff. cent. 2. conf. 46.*

XXXIII. Titius cum fecisset testamentum, in quo fratrem suum Seium hærede instituerat, post annum in codicillis eorum duob. testibus Ecclesia N. legat quinq. millia aureorum post mortẽ fratris solvenda. Queritur an legatum valeat?

DISPUTATIO,

Ecclesia N. intentionem suam fundatam habet in iure, quo legata à defuncto relicta ab hærede sunt præstanda: de quo, *M. I. R. lib. 4. cap. 9. reg. 14. in princ.* Cui obstat exceptio hæc quod in codicillis requirantur quinque testes, *M. I. R. lib. 4. cap. 5. reg. 32.* Quæ exceptio eliditur replicatione hæc quod in legatis ad pias causas duo testes sufficiant, *M. I. R. dict. libr. 4. cap. 2. reg. 21. exception. 26. replicat. 10.* Quæ replicatio propositæ causæ inest: nec qua duplicatione elidiqueat video. Itaque nisi reus alia meliore exceptione causam suam defendat, contra eum puto respondendum.

Idem argumentum tractat, *Schurff. cent. 2. conf. 48.*

XXXV. Inter Sempronium actorem & Annam ream causa matrimonialis vertitur, qua in factò consistit, utrum scilicet Anna in matrimonium Sempronij consenserit, nec ne? Et cum ex parte actoris testes producti essent, quibus tamen

consensus Anna non plenè fuit probatus: Quaeritur an iudex in supplementum probationis iusiurandum auctori deferre possit?

DISPUTATIO.

Regulariter quidem si non plenè probatum sit, iudex in supplementum probationis alterutri partium iusiurandum deferre potest: *M. I. R. lib. 2. cap. 16. reg. 12.* Cuius duæ exceptiones hoc casu vidètur obstare: Vna quod consensus non sit semiplenè probatus altera quod auctor non sit fide dignus, qui iusiurandū deferri debeat. Quod ad primam exceptionem attinet constat ex dictis testium quod de matrimonio inter auctorem & ream sit tractatum, & ream eatenus consenserit si de dote conuenierit: item quod dixerit, *Es sey so weit kommen.* Quibus ne semiplenè quidem consensus purus probatur. Itaque iusiurandum suppletorium auctori non deferendum per ea, quæ tradit, *Mysing. centur. 1. obseru. 68. vers. Primum est & centur. 4. obseru. 12. vers. ultim.* Quod ad alteram exceptionem attinet, constat auctorem pauperem esse, ocio deditum & vinosum, ream autem diuitem. Vnde suspicio oritur auctorem facile periurium commissurū, ut

ex bonis mulieris diteſcat. Ob quam etiã cauſam iuſiurandum illi nõ deterendum per ea, quæ habentur, *M. I. R. lib. 2. cap. 15. reg. 24. except. 7. cum ſeq. Mynſing. d. obſ. 68. verſ. Tertio ut.*

Idem argumentum tractat, *Schurff. cent. 2. conſ. 47.*

XXXVI. Cum Titius Berta uxori ſua uſumfructum omnium bonorum ſuorum tam mobilium, quam immobilium teſtamento reliquiſſet ita ut poſt mortem ſuam Berta omnia iſta bona proximis teſtatoris adgnatis reſtitueret. Berta de mobilibus reſtituendis adgnatis cauere detractat, præ tendens quod illa boni uſe conſuetudinis ab inteſtato ad ſe pertineãt. Quaeritur an ex teſtamento mariti ad uſumfructum bonorum ei competat actio?

D I S P U T A T I O.

Berta intentionem ſuam fundatam haber in teſtamento mariti. Quæ actio eliditur exceptione hac quod impugnans teſtamentum in aliquo nihil ex iſto ex teſtamento petere poſſit, *M. I. C. lib. 12. cap. 7. cauſ. 17.* Quæ exceptio propoſitæ cauſæ ineſt: cum actrix contra voluntatem teſtatoris recuſet mobilia poſt mortem ea adgnatis teſtatoris reſtituere. Cum itaq; exceptio hæc

hæc tam iure quam facto subsistat, nec aliqua replicatione elidi queat, respondeo ipsi ex testamento mariti actionem esse denegandam.

Idem argumentum tractat, *Schurff. cent. 2. cons. 54.*

XXXVII. Titius prædium Seii pro suo vendidit Sempronio, & euictionis nomine dat emptori fideiussorem Mæuium, qui postea hæres Seio extitit. Queritur an Mæuius tanquam hæres Seii prædium à Sempronio vindicare possit?

DISPUTATIO.

Mæuius intentionem suam fundat in suo dominio, quia hæres domino Seio extiterit: de quo, *M. I. R. lib. 3. cap. 13. reg. 28.* Excipitur à Sempronio reo quod, quem de euictione tenet actio eundem, agentem repellat exceptio, *M. I. C. lib. 7. cap. 5. q. 1. except. 5.* Quæ exceptio propositæ causæ inest: siquidem prædio euicto Mæuius tanquam fideiussor venditoris de euictione tenetur. Verum eliditur replicatione hac, nisi Titius venditor soluendo sit, & conueniri possit: hoc enim casu fideiussor conuentus exceptione defenditur, *M. I. R. lib. 5. cap. 9. reg. 5. except. 20.* vbi tamen replicatio hæc variè distinguitur, quarum distinctionum

si aliqua obiiciatur, & de facto probatur: contra Mæuium actorem in casu proposito erit respondendum: salua tamen ipsi conditione sine causa aduersus Titium venditorem de precio sibi restituendo, *L. t. §. si. ff. de condict. sine causa.*

XXXVIII. Mæuius habens filiam in testamento legauit domum filiis fratris sui sub hac conditione, si contingat filiam testatoris mori sine herede masculino. Queritur si filia moriatur relicto post se filio, qui tamen ante testatorē moritur, an legatū domus filiis fratris testatoris debeat?

D I S P U T A T I O.

Legatarii intentionem suam fundant in testamento Mæuii: cui obiicitur exceptio hæc nisi conditio legati defecisset, *M. I. R. lib. 4. cap. 10. reg. 50.* Quæ exceptio propositæ causæ inest: cum filia relicto hærede masculino decesserit. Verum replicatur ab actoribus nisi filius uiuo testatore sit mortuus. Quæ tamen replicatio reprobatur, *M. I. R. d. reg. 50. except. 6.* Sed admittitur si voluntas testatoris, sit in cōtrarium, *M. I. C. li. 13. c. 9. reg. 8.* De minore propositione dubitatur an scilicet Mæuius testator, si interrogatus fuisset, voluisset conditionem legati ad casum præsentem extēdi? Quod *Schurff.*

tenet.

Cent. 2. cons. 61. defendit. Ego censeo hanc
 quæstionē arbitrio iudicis esse relinquen-
 dam, *l. voluntatis 7. C. de fideicommissis.*

XXXIX. *Moritur Dorothea relicto Seio fra-
 tris sui filio & ex alio fratre nepote Caio. Quæ-
 ritur an Caius cum Seio defuncta ab intestato suc-
 cedat?* Respondeo quod non per ea, quæ
 habentur, *M. I. R. li. 4. c. 6. post reg. 9. ext. gene-
 ral. 1. repl. 2. dupl. 1.*

Idem argumentum tractat, *Schwarff. cont.
 2. cons. 62.*

XL. *Tit. habens filium ex primo matrimonio
 Caium, & alium filium ex secundo Mau. vendit
 feudum suum paternū Caio pro pecunia castren-
 sis peculij, & tradit Mortuo T. Mauus agit ad-
 uersus fratrem C. petitione hereditatis de illo feu-
 do vendito comunicando. Quæritur quid iuris?*

D I S P U T A T I O.

Mæuius intentionem suam fundat in
 iure, quo feudum antiquum siue pater-
 num ad omnes filios vasalli æqualiter per-
 tinet: de quo, *M. I. F. cap. 4. q. 2. reg. 2. in princ.*
 Reus excipit quod petitio hereditatis non
 detur aduersus titulo possidentem, *M. I.
 R. lib. 4. cap. 8. reg. 5. exception. 1.* Quæ exce-
 ptio propositæ causæ inest: siquidem reus
 feudū à patre suo emit. Sed replicat actor
 quod

quod alienatio feudi in præiudicium adgnatorum non valeat, *M.I.F.cap.5. quest.1. causa 37. except. 25. repl. 1.* Quam replicationem reus elidit duplicatione hac quod adgnatis feudum alienatum reuocantibus obstat annalis præscriptio, *dict. repl. 1. dupl. 8.* Quæ duplicatio propositæ causæ inest, nec aliqua triplicatione potest elidi. Itaq; contra replicationem respondendum. Sed & alia replicatione vtitur actor quod contractus inter patrem & filium non subsistat, *M.I.C.lib.15. cap. 2. except. 5.* Cui obstat duplicatio hæc nisi de peculio castrensi agatur, *M.I.C.d. excep. 5. repl. 1.* Quæ duplicatio propositæ causæ inest: quia constat reum ex castrensi suo peculio feudum emisse. Hæc igitur duplicatione elisa est altera actoris replic. quæ nulla vltiori distinctione potest elidi. Itaque dicendum Caium reum ratione exceptionis oppositæ esse absol- uendum.

Idem argumentum tractat, *Schurff. cent. 2. cons. 68.*

XLI. Seius cum filios non haberet, omnia bona sua præsentia & futura filiis fratris sui donauit. Postea fecit testamentum, in quo aliis alia legauit.

gnit. Queritur utrum donatio testamento, an testamentum donationi deroget?

DISPUTATIO.

Regulariter quod quis inter viuos donavit, hoc per legatum vel institutionem hæredis alii relinquere nõ potest, *Newell. 22. §. Atq; hoc primum.* Cui obstat exceptio hæc nisi donatio sit omnium bonorum præsentium & futurorum: hæc enim ius testandi non aufert, *M.I.R. lib. 4. cap. xi. reg. 10. except. 11.* Quæ exceptio propositæ causæ inest, nec aliqua replicatione potest elidi: Dicendum itaque testamentum donationi prævalent.

Idem argumentum tractat, *Schurff. cent. 2. cons. 69.*

XLII. Anna Sempronij uxor condidit testamentum suum coram Proconsule tanquã iudice & notario civitatis missis ad hoc à Scabinis ad ades testatricis. Queritur an nullis aliis testibus adhibitis testamentum valeat?

DISPUTATIO.

Scripti in testamento hæredes intentionem suam fundât in iure, quo testamentum apud acta seu coram iudice factum valet etiam sine legitimo testium numero: de quo, *M.I.R. lib. 4. ca. 2. reg. 21. except. 26.*

N

repl.

repl. 7. Cui opponitur exceptio hæc, nisi nõ coram iudice pro tribunali sedente, sed in ædibus testatoris sit factum testamentum. Quæ exceptio nulla speciali lege reperitur approbata. Itaque dicendum eam non esse admittendam.

Idem argumentum tractat, *Schurff. cent. 2. cons. 77.*

XLIII. Dorothea dote accepta mediante iuramento renuncianz bonis paternis, maternis & fraternis: postea ultimo fratre decedente petit eius ab intestato hæreditatem. Queritur si frater iste testamentum fecit alio hærede scripto an soror sit audienda?

D I S P U T A T I O.

Soror Dorothea intentionem suã fundat in iure, quo omnibus fratribus quorum gratia hæreditati renũciauerat, mortuis ille ad successionem renunciatione non obstante admittatur: de quo, *M. J. R. li. 4. cap. 6. post reg. 9. except. general. 3. repl. 3. dupl. 2. tripl. 18.* Cui obstat exceptio hæc, nisi ultimo decedens testamentum fecerit alio hærede scripto, *d. tripl. 18. quadrupl. 5.* Quæ exceptio propositæ causæ inest, nec ulteriori distinctione elidi potest, si modo testamentum non probetur iniustum, ruptum
vel

Vel irritum, itaq; dicendum. Dorotheam
 hęcricam non esse audiendam.

Idem argumentum tractat, *Schurff. sent.*
 2. *cons.* 73.

XLIII. *Titius & Seius habentes iter cō-*
munne per fundum Mauij eo itinere per decem
annos vsi non sunt. Queritur si Seius fuerit mī-
nor quatuordecim annis, & ob id non utendo
seruitutem itineris non amiserit, an hoc etiam
prosit Titio ne & is seruitutē amisisse dicatur. Et
respondetur quod sic, per l. si communem 10.
in pr. ff. quemadmodum seruitus amittatur.

Idem argumentum tractat, *Schurff. cent.*
 8. *cons.* 78. n. 7.

XLV. *Cum Titius & Mauius pro Seio apud*
Sempronium creditorem in centum fideiussis-
sent quislibet in solidum, & Titius à Sempr. con-
uentus solidam soluisset, nec à Seio debitore, qui
non est soluendo, quidquā consequi posset, petit à
Sempr. creditore, ut sibi actionem aduersus Ma-
uium confideiussorem suum cederet. Qua cessione
à Sempronio facta queritur an Titius recte
aduersus Mauium ex illa cessione agat?

D I S P U T A T I O.

Titius intentionem suam in cessione à
 Sempronio sibi facta fundat: siquidē sine
 ea actionem aduersus Mauium non ha-

bet: cum nihil cum eo contraxerit: de quo, *M. I. C. lib. 24. cap. 6. quest. 2. reg. 4.* Cui obstat exceptio hæc, quod non in ipsa solutione, sed ex interuallo actio sit à Sempronio cessa. Quæ exceptio approbatur *d. reg. 4. exce. 1.* & propositæ causæ inest, ne aliqua replicatione potest elidi. Itaque dicendum Meruium ab actione Titii esse absoluendum.

XLVI. Seius cum feudum antiquum haberet illud consensu domini vendidit Sempronio. Queritur si postea illi nascatur filius, an hic feudum alienatum reuocare possit?

D I S P U T A T I O.

Filius feudum reuocans intentionem suam fundatam habet in iure, quo consensus domini in alienatione feudi adgnatis alienantis non præiudicat: de quo, *M. I. F. c. 5. q. 1. cau. 37. exc. 25. repl. 1.* Cui obstare videtur exceptio hæc, nisi feudum reuocans tēpore alienationis nondū fuisset natus. Sed hæc exc. reprobatur *d. rep. 1. dupl. 12.*

Idē argumentū tractat, *Sch. cent. 2. cons. 82.*

XLVII. Ma. testamento factō reliquit sua bona Tit. & Seio per hæc verba pertineant senperueniāt mea bona ad Titium & Seium. Queritur an testamentum valeat?

D I S P U T A T I O.

Hæc-

Hæredes ab intestato contra testamen-
tum intentionem suam fundant in iure,
quo testamentum sine hæredis institutio-
ne nullius censetur esse momenti: de quo,
M. I. R. lib. 4. ca. 2. reg. 21. except. 59. Quod pro-
positæ causæ videtur inclic: cum verbum
Instituo in testamento non appareat. Ve-
rum huic obstat exceptio hæc nisi verbum
lego, relinquo vel simile vniuersitati bo-
norum adiiciatur: hoc enim vice institu-
tionis habetur, *d. except. 55. repl. 1.* Quanquã
autem exceptio hæc ibi apparet contro-
uersa, tamen adiuuatur præsumptione iu-
ris: quia in dubio pro testamento est præ-
sumendum, *M. I. C. lib. 13. ca. 9. reg. 10.* præser-
tim si de voluntate testatoris constat itaq;
propter hanc præsumptionem exceptio
proposita quamuis controuersa est admit-
tenda, & pro testamento respondendum.

Idē argumentū tractat, *Sch. cent. 2. cons. 62.*

*XLVIII. Mæuius in testamento legauit
domum Seio nepoti suo & eandem voluit perue-
nire ad Titium si contingeret nepotem sine libe-
ris & intestatum decedere, prohibuitque do-
mum eandem alienari. Queritur si nepos domū
pendentib. duab. conditionibus, sub quibus Tit.
domus legata est, vèdiderit, an venditio valeat?*

D I S P U T A T I O.

In dubio alienatio rei restitutioni subiectæ non valet: de quo, *M. I. C. lib. 12. c. 2. reg. 2.* & *M. I. R. lib. 3. cap. 13. reg. 24. exc. 16. item lib. 4. cap. 9. reg. 8.* Cuius exceptio est, nisi sub cōditione res alienata relicta sit; tunc enim pendente vel deficiente conditione valet alienatio, *M. I. C. d. reg. 2. except. 1.* Quæ exceptio propositæ causæ inest: siquidem domus non purè Titio legata est sed sub duabus conditionibus, nimirum si nepos testatoris sine liberis & intestatus decesserit. Quæ utraque conditio nisi extiterit, valet domus venditio: Sed huic exceptioni videtur obstare replicatio hæc, nisi prohibitio alienationis expresse à testatore sit facta. Quæ replicatio approbatur, *M. I. R. lib. 4. cap. 10. reg. 81.* Et causæ propositæ inest: Verum distinguitur hoc modo, nisi prohibitio non principaliter sit facta, sed legati præcedentis respectu. Quæ distinctio duplicationem reo suppeditat, si modo de minore eius propositione seu de facto constaret. Verum quia dubitatur utrū prohibitio alienationis respectu præcedentis legati, an principaliter sit facta: hæc quæst. arbitrio iudicis est relinquenda.

Idem

Idem argumentum tractat, *Schurff. cent.*

2. cons. 94.

XLIX. Caius pradium N. Titio cum pacto de reuendendo vendidit & tradidit. Rustici proximi pagi in pradio vendito pecus suam pascunt, quibus Titius in eo ius pascendi esse negat. Causa in iudicio agitur, & pro rusticis, contra Titium pronuntiatur. Quæritur si Caius pradium ex pacto redemerit, an sententia contra Titium latè ipsi præiudicet?

DISPUTATIO.

Caius excipiendo intentionem suam fundat in iure, quo res inter alios acta aliis non præiudicat: de quo, *M. I. C. lib. 2. c. 30. q. 3. reg. 1. & lib. 24. cap. 15. reg. 2. item M. I. R. libr. 2. c. 19. reg. 5. & libr. 5. capit. 12. reg. 16.* Cuius exceptio est, nisi cum antea cum auctore actum esset, nunc cum successore agatur: hoc enim casu successoris præiudicatur, *M. I. C. d. reg. 2. exc. 4.* Quæ exc. videtur causæ propositæ inesse, & pro rusticis facere. Quia Caius redimendo prædium à Titio videtur ab eo causam dominii habere. Sed contrariū verius est quod T. causam dominii potius à Caio habuerit, quam Caius à Titio cum dominium à Titio in Caiū sine noua tra-

ditio-

ditione tranſcat, *M. I. R. lib. 3. cap. 13. reg. 14. exce. 1. repl. 6. & lib. 6. cap. 2. q. 11. reg. 2.* Ideoque Caius redimens potius auctori comparatur, cui ſententia contra ſucceſſorem lata non præiudicat *l. ſi a te 9. §. ſi. ff. de exceptione rei iudicatæ, niſi forte ex eo capite quod ſciens actionem ſibi competerẽ emptorẽ Titium agere paſſus ſit: tunc enim ei præiudicatur, l. ſape 63. ff. de re iudicata l. ſi parentes 20. in prin. C. de euictionibus: quemadmodum etiam Titio euictionem præſtare debuiſſet, ſi ab eo hiſ ei fuiſſet denunciata. Itaque dicendum ſi Caius ſciens Titium cū ruſticis de iure paſcendi litigare, quamuis eum non defenderet ſententiam contra Titium latam Caio præiudicare.*

Idem argumentum tractat, *Schurff. cent. 2. conf. 95.*

L. Seius in teſtamento minus ſoleni inter liberos factõ Mæuium filium exhæredauit quod inobediens fuerit, & multum dilapidauerit. Queritur ſi Mæuio exhæredato prædium legatum eſt, an teſtamentum poſſit nullum dicere?

D I S P U T A T I O.

Mæuius intentionem ſuam fundatam habet in iure, quo teſtamentum nullum eſt

est si causa exhæredationis à patre expressa non est legibus adprobata: de quo, *M.I.R. lib. 4. cap. 2. reg. 21. except. 115.* Ut minore propositione constat. Sed obstat exceptio hæc nisi exhæredato aliquid in testamento relictum sit: tunc enim cessante nullitatis causa ad supplementum tantum legitima actio exhæredato datur, *M.I.R. lib. 4. cap. 8. reg. 34.* Quæ exceptio propositæ causæ inest. Sed eliditur replicatione hac nisi non institutionis titulo exhæredato aliquid relictum sit, *M.L.R. d. reg. 34. except. 6.* Quæ etiam replicatio propositæ causæ inest, nec qua duplicatione elidatur animaduerto. Itaque respondeo Mævio nullitatis causam non esse denegandam.

Idem argumentum tractat, *Schurff. cent. 2. cons. 97.*

L I. Cum Titius & Mævius fratres feudum commune haberent, Mævius sciens passus est Titium fratrem tanquam natum maiorem solum à domino inuestiri & ultra triginta annos tacuit. Queritur an per hoc sibi, suisque liberis praiudicauerit, ne dimidiam partem in isto feudo vendicare possint?

DISPUTATIO.

Mævius eiusq; liberi intentionem fun-

L 5 da-

datam habent in iure, quo feudum Vasallo mortuo æqualiter ad liberos eius pertinet: de quo, *M.I.F.c.4.q.2.reg.2.in pr.* Cui à Titio opponitur exceptio hæc, nisi vnus ex fratribus sciens, tacensq; alterum solum à domino inuestiri passus sit. De iure huius exceptionis quæstio est, an frater sciens, tacensque alterum fratrem solum de feudo inuestiri, sibi, suisq; liberis in dimidia parte præiudicet? Respondeo quod non: siquidem vt Vasallus domino mortuo non ab omnibus defuncti liberis feudum recognoscit, sed ab vno tantum, *M.I.F.capit.5.q.1.causa 7.except 15.repl.1.* Sic in feudis moris est vt dominus Vasallo mortuo non omnes defuncti liberos, sed seniore tantum inuestiat, sine præiudicio tamen aliorum. Planè si Mæuius fratrem Titium solum inuestiri non tantum passus esset, sed cum etiã per 30. annos feudum solum in solidum possidere: hoc casu ex scientia patientia præsumeretur fratri suam partem donasse, & sic liberis suis præiudicasset.

Idem argumentum tractat, *Schurff.cent. 2.conf. 98.*

LII. Berta marito suo Manio pactum fecit de dote & donatione propter nuptias, nec

non

non aliis lucris, qua sibi mortuo marito ex statuto deferuntur, post mortem mariti non exigendis. Queritur an pactum valeat?

D I S P U T A T I O.

Hæredes mariti defuncti contra Bertam dotem & alia exigentem excipiendo intentionem suam fundatam habent in iure, quo pacta sunt seruanda: de quo, *M.I.R. lib. 5. capit. tertio reg. 5. in princip.* Cuius exceptio est, nisi pactum continent donationem inter virum & vxorem: hoc enim non valet, *M.I.R. libro quarto capit. 11, reg. 47.* Quæ exceptio propositæ causæ inest, nec aliqua replicatione potest elidi. Itaque pro Berta contra mariti hæredes censeo respondendum.

LIII. Titius feudum paternum vendidit Caio extraneo. fratre Mauiio consentiente, sed Sempronius Mauii filius contradicit. Moritur post illam venditionem Titius triginta annis elapsis. Sempronius feudum alienatum renouat. Queritur quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Sempronius intentionem suam fundatam

datam habet in iure, quo feudo alienare permittitur adgnatis Vasalli alienantis illud reuocare: de quo, *M.I.F. cap. 5. q. 1. causa 37. except. 25. repl. 1.* Cui obstat duplex exceptio, vna præscriptio triginta annorum *d. repl. 1. dupl. 8. tripl. 1.* Sed hæc exceptio eliditur replicatione hac quod temporis præscriptio non currat contra eum, qui agere non potuit, *M.I.R. lib. 5. cap. 2. reg. 4. except. 10.* Quæ replicatio propositæ causæ inest: Si quidem adgnato alienantis non competit feudi reuocatio, nisi mortuo alienante, *M. I. F. d. repl. 1. dupl. 10.* Ideo prima exceptio Catio emptori non prodest. Altera exceptio, qua eliditur intentio Sempronii, est quod pater ipsius alienationi consensit. Quæ approbatur, *M. I. F. d. repl. 1. dupl. 4.* Cui tamen obstat replicatio hæc nisi pater actoris in specie se non obligasset non contrauenire. Quæ replicatio approbatur apud *Mynsing. cent. 1. obseru. 50. & cent. 5. obs. 55.* Et propositæ causæ inest, nec aliqua duplicatione potest elidi. Itaque nec altera exceptio Catio emptori prodest, sed Sempronio actori reuocatio feudi non est deneganda:

Idem argumentum tractat, *Schurff. cent. 2. cons. 100. & cent. 3. cons. 66.*

LIIII.

LIIII. *Cum Titius, eiusque maiores venatione usi essent in pradio N. & aliis locis adiacentibus per tempus immemorabile, dominis prædii N. & aliorum locorum vicinorum sciensibus & patientibus, nunc dictorum locorum domini Titium venari in dictis locis prohibent. Queritur, quid iuris?*

D I S P U T A T I O.

Domini locorum intentionem suam fundāt in iure quo dominus prædii aliquē prohibere potest ne fundum suum venandi vel aucupandi gratia ingrediatur: de quo, *M. I. R. libr. 3. cap. 13. reg. 8. & lib. 5. cap. 10. reg. 68.* Cui à Titio opponitur exceptio hæc si non ipse, sui que maiores in illis locis ius venandi præscripsissent. De iure huius excepti, quæstio est, an ius venandi in fundo alieno tempore immemorabili præscribi possit? Pro affirmatiua præsumptio est: quia servitus discontinua, qualis est ius venandi, tempore immemorabili præscribitur, *M. I. R. lib. 3. cap. 18. reg. 3. ext. 1. repl. 4.* Cui quid obiici possit non video. Itaque pro Titio respondendum censeo.

Idem argumentum tractat, *Schurff. cens. 3. conf. 1.*

L V. *Stante consuetudine qua maritus mortua*

tua

*tua uxore dotem lucratur, moritur Berta super-
fite Caio marito, cui centum in testamento lega-
uerat. Queritur si Caius accepto legato dotem
velit retinere, nec eam heredibus uxoris resti-
tuere, an sit audiendus?*

D I S P U T A T I O.

Caius aduersus actionem heredum do-
tem repetentium intentionem fundatam
habet in consuetudine loci, qua maritus
dotem lucratur: de qua, *M. I. R. lib. 3. c. 9. reg.
29. exc. 8.* Cui opponitur exceptio hæc si nõ
legatum ex testamento vxoris accepisset:
De iure huius exceptionis quæstio est, an
legatum marito ab vxore relictum ipsi in
causam dotis reputetur. Cuius probatio
actoribus incumbit, & pro eis facit, *L. Tu-
tor. 26. ff. de liberatione legata: de qua, M. I. C.
lib. 12. cap. 2. reg. 12.* Sed hoc argumentum
eliditur distinctione hac, si compensandi
debiti animo legatum creditori esset reli-
ctum. At compensandi debiti animo reli-
ctum non est. Ergo, &c. Maior probatur, *M.
I. C. d. reg. 12. except. 3.* De minore proposi-
tione dubitatur, an Berta compensandi lu-
cri dotalis animo Caio marito centum le-
gauerit. Præsumptio videtur pro affirma-
tiua esse, *secundum communem Dd. opinionem*

Vill.L.42. & V.76. Ex quibus tamen locis apparet hanc opinionem non carere controuersia, & in vtranq; partem disputatur apud *Furster. de successoribus ab intestat. lib.9. c.7.* Itaq; eam tanquam facti quæstionem arbitrio iudicis censeo esse relinquentiam.

LV I. Stante statuto quo foemina dotata exstantibus masculis à successione fratris defuncti excluduntur: moritur Titius relicto fratre consanguineo Seio, & sorore germana Dorothea: queritur an Seius frater Dorotheam sororem à successione defuncti excludat?

D I S P U T A T I O.

Dorothea intentionem suam fundamentam habet in iure, quo frater vel soror defuncto vtrinque coniunctus, coniunctum fratrem ex altero tantum parente defuncto coniunctum excludit, tantum abest vt ab eo excludatur: de quo, *M.I.R. lib.4.c.6. reg.8. exc.2.* Cui à Seio opponitur exceptio hæc, nisi aliud statuto cautum esset, vt exstantibus masculis foeminae dotatae à successione excluderentur, de quo statuto constat, & de eius interpretatione dubitatur vtrum etiam in casu proposito obtineat?

tineat? Sed cum ratio & mens statuti eadem sit in casu proposito scilicet fauor adgnationis & familiæ conseruandæ, & exceptio statuti controuersa; *M.I.R. d. cap. 6. reg. 2. except. 4. repl. 18.* censeo istam exceptionem non esse admittendam, sed pro Seio respondendum. Quanquam aliud in fratre germano & consanguineo proximè respondeo:

LVII. Stante dicto statuto moritur Mauius relicto fratre germano Titio, & fratre consanguineo Caio: Queritur an hic per illum à successione Mauij defuncti excludatur?

D I S P U T A T I O.

Titius intentionem suam fundatam habet in dicto iure, quo frater germanus consanguineo in successione defuncti præfertur: de quo *dict. except. 2.* Cui obicitur quod se eadem ratio statuti in fratre consanguineo, quæ est in fratre germano scilicet fauor adgnationis. Vnde etiã in feudis pariter succedunt. Ergo debet etiam idem ius esse. Sed hæc interpretatio est controuersa, *Furster. de succes. ab intestato lib. 8. ca. 17.* Et in correctoriis non admittitur extensio, statutaq; ita sunt interpretanda vt quam minimum lædatur ius commune;

M.I.R.

M.I.R.lib.I.cap.I.reg.5.except.7.®.12. Id-
 eo dicendum iuri communi per statutum
 non derogari, sed Titium in successione
 Mæuii Caio esse præferendum. At diucti-
 sum supra proximè in sorore germana re-
 sponsum est: hoc ideo tam variè quia sta-
 tutum excludens foeminas gratia adgnà-
 torum dicitur fauorabile, *M.I.R.d.reg.5.ex-
 cept.5.vers.* Item statutum excludens. Id-
 eo admittitur in eò correctio iuris com-
 munit.

*LVIII. Sempronius cum haberet duos fi-
 lios ex primo matrimonio, & tres liberos scilicet
 filios & filias ex secundo omnes equaliter here-
 des instituit, sibi que inuicem substituit. Queri-
 tur vno ex iis hereditatem repudiante, vel de-
 functo, utrum omnes equaliter ad portionem
 deficientem ex substitutione vocentur, an ger-
 mani fratres, vel sorores tantum?*

D I S P U T A T I O.

Germani fratres & sorores intentione
 suam fundant in iure, quo in successione
 fratrum germani, seu ex vtroque parente
 coniuncti præferuntur aliis ex vno tan-
 tum parente coniunctis: de quo, *d.except.*
 2. Cui opponitur exceptio hæc, nisi non ab
 intestato, sed ex testamento & substitutio-

ne patris succedatur. De iure huius exceptionis dubitatur, an aliud iuris sit, si ex testamento succedatur? Et in dubio hoc presumitur patris voluntas fuisse ut æqualiter succedant, quos æqualiter hæredes instituit: quin omnes ex æquo dilexisse præsumitur. Itaque contra fratres germanos est respondendum.

LIX. Titius cum filium apud hostes haberet moritur, & filius ignorans patrem decessisse uxorem apud hostes duxit, ex qua illi filius genitus est Seius. Queritur an hic Seius, qui patris hereditatem repudiat Titij aui sui hereditatem petere possit?

D I S P U T A T I O:

Caius Titij frater, qui Titij hereditatem possidet, aduersus petitionem Seii excipiendo intentionem suam fundat in iure, quo nepos, qui tempore mortis aui nondum conceptus est, auo ab intestato succedere nequit: de quo, *M. I. R. libr. 4. cap. 6. reg. 2. except. 7.* Seius contra replicat. Quãuis ex propria persona auo succedere non possit, tamen iure transmissionis ex persona patris illi succedat *d. except. 7. repl. 2.* Ad quam replicationem elidendam Caius reus utitur duplicatione hac, quod pater Seii ante

ante aditam patris Titii hæreditatem de-
 cesserit. Ideoq; eam ad Seium filium trans-
 mittere non potuerit. Quæ tamen duplici-
 tatio reprobatur, *M. I. R. lib. 4. cap. 5. reg. 1. ex-
 cept. 1. repl. 1. in princ.* Sed & alia duplicatio-
 ne reus vitur quod Seius actor patris hæ-
 reditatem repudiauerit. Quo casu etiam
 aui hæreditatem repudiasse videatur. Quæ
 duplic. Seius elidit triplicatione hac, si aui
 hæreditas à patre fuisset adita, tunc illud ar-
 gumentum procederet. At ab eo non fuit
 adita. Ergo in patris hæreditate computari
 nõ potest. Quæ triplicatio tam de iure quàm
 de facto manifesta est, nec ulteriori distin-
 ctione potest elidi. Itaque dicendum Seio
 petitionem hæreditatis aui sui non esse de-
 negandam.

*L X. Manius testamento facto filium suum
 Seium hæredem instituit, eiusque fideicommissit,
 ut si sine liberis decederet, hæreditatem Caio
 restitueret. Moritur Seius relicto filio natura-
 li. Queritur an conditio fideicommissi de-
 ficiat?*

D I S P U T A T I O.

Hæres Seii intentionem suam funda-
 tam habet in iure, quò non videtur si-
 ne liberis decessisse qui filium quamuis

naturalem reliquerit: de quo, *M. I. R. libr. 4. cap. 10. reg. 50. except. 1.* Excipit Caius, nisi alia fuerit mens testatoris. De minore propositione huius exceptionis dubitatur: An scilicet testator appellatione liberorum noluerit filium naturalem contineri? Quæ voluntas non præsumitur nisi probetur: quia in dubio verbis inhærendum est, donec de contraria testatoris voluntate constet, *l. Non aliter 59. in prin. ff. de leg. 3.* Quibus autem rationibus hæc testatoris voluntas probetur differit, *Furster. de success. ab intestato lib. 6. cap. 17.* Ea autem non probata contra Caium est respondendum.

LXI. Titius Mauium cum filio ipsius heredem instituit pro equalibus partibus. Queritur an Mauius pater usumfructum habeat in portione, quæ filio obtigit?

D I S P U T A T I O.

Mauius intentionem fundat in iure, quo patri usumfructus in bonis aduenticiis filii debetur: de quo, *M. I. C. lib. 4. cap. 22. q. 1. immutatione iuris. & M. I. R. lib. 3. cap. 11. reg. 21.* De cuius exceptione dubitatur, si pater cum filio ab aliquo hæres sit institutus. Quæ exceptio approbatur in simili casu, quo pater cum filio ab intestato succedit æqua-

æqualiter filio defuncto: hoc enim casu filio portio pleno iure acquiritur, *M.I.C.d. mutat. iuris except. 6.* Quæ ratio cum in casu proposito testati etiam sit, merito idem quoque ius obtinere debet. Cui accedit *Crauet. conf. 37. nu. 5.*

LXII. Inter Titium & Seium societas contracta est hereditatis communicanda, qua legitima alterutri eorum obuenerit. Titius postea in testamento Mauij haeres institutus est: quam hereditatem Seius sibi ex contractu communicari petit. Quæritur quid iuris?

DISPUTATIO.

Titius excipiendo intentionem suam fundat in iure, quo appellatione legitimæ hæreditatis non continetur hæreditas testamentaria. Quod ius est controuersum, *M.I.C. lib. 9. cap. 1. quest. 3. reg. 5.* In qua antinomia concilianda interpretes plurimum dissentiunt: de qua re vide *Furster. de success. ab intestato lib. 1. cap. 16. cum duobus seqq.* Quia igitur definitio legitimæ hæreditatis est controuersa, & dubitatur de qua hæreditate inter contrahentes actum sit, contra Titium, qui intentionem suam in hoc iure controuersa fundat, respondendum est.

LXIII. Titius & Mauius à Scio hæredes instituti sunt. Mortuo testatore Titius Mauiam deliberante hereditatem adit, eamque Sempronio vendit: postea Mauius hereditatem repudiat. Queritur utrum portio Mauij deficiens Titio venditori, an emptori Sempronio adcreseat?

DISPUTATIO.

Titius hæres intencionem suam fundatam habet in iure, quo portio deficiens cohæredi adcreseat: de quo, *M. I. R. lib. 4. cap. 5. reg. 27.* Cui à Sempronio obiicitur exceptio hæc, nisi cohæres hereditatem vendidisset, tunc enim emptori adcreset. De iure huius exceptionis dubitatur, eiusque probatio emptori Sempronio incumbit. Cum autem nulla speciali lege eam possit probare, argumentis utitur, contra quæ & alia argumenta produci possunt, quæ refert, *Furster. dict. libr. 1. cap. 42.* Ex quibus patet hanc exceptionem esse controuersam: ideo non admittendam: quemadmodum etiam reprobatur, *M. I. R. dict. cap. 5. reg. 29.* Pro Titio itaque in casu proposito respondendum.

LXIII. Stante statuto quo defuncti proximis adgnatis testatorum hereditas exclusi
matre

*matre defertur: Moritur Scius impubes relicta
matre Berta & patre Mævio. Queritur quid
iuris?*

D I S P U T A T I O,

Mævius intentionem suam fundat in
statuto loci, quo adgnati cognatis etiam
matri defuncti in successione ab intestato
præferuntur. Cui à matre Berta opponi-
tur exceptio hæc, quod impubes intesta-
tus decedere non dicatur: idque probat,
*l. 1. in princip. ibi planè qui testari ff. de suis &
legitimis heredibus.* Cuius hæc sunt verba
qui testari non potuit, propriè non est in-
testatus, puta impubes, furiosus, vel cui bo-
nis interdictum est. Subiicitur tamen
ibidem sed hos quoque pro intestatis ac-
cipere debemus. Quæ verba posteriora
derogant prioribus, ut probatio proposi-
tæ exceptionis non sit suspiciens. Accedit
quod exceptio ista apud interpretes sit cõ-
trouersa, ut apparet ex *Furstero de successione
ab intestato libro tertio cap. quarto.* Ideoque
non est admittenda, sed pro Mævio re-
spondendum.

*L X V. Stante consuetudine, qua maritus
lucrat dotem uxoris defunctæ: moritur Do-*

rothea relicta ampla dote & paraphernalibus;
Queritur an Scius maritus non solum dotem,
sed etiam paraphernalia lucretur?

DISPUTATIO.

Scius intentionem suam fundat in cōsuetudine, qua maritus dotem vxoris defuncta lucretur. Paraphernalia autem doti æquiparari. Ideo istam consuetudinem ad paraphernalia esse extendendam. Hæredes defunctę hanc extensionem negant hac ratione quod consuetudo ista contra ius commune sit introducta. Ideo non esse extendendam: idque probant, *M. I. R. lib. 1. cap. 1. reg. 5. except. 1. vers.* Admittitur tamē. Quod argumentum cum nulla ratione queat elidi, contra Scium actorem est respondendum.

Idem argumentum tractat, *Schurff. cent. 3. cons. 7.*

LXVI. Titius in sylua Mæui ligna secuit & collegit ultra triginta annos. Mæuius eius nomine aduersus Titium actionem negatoriam instituit, qua neg. it Titio ius esse in sylua actoris lignandi. Queritur quid iuris?

DISPUTATIO.

Mæuius intentionem suam fundatam habet in iure, quo quælibet res præsumitur libe-

libera, nisi seruitus in ea probetur: de quo, *M.I.R. libr. 2. cap. 11. in verbo seruitus.* Excipit Titius quod omni actioni triginta annis præscribatur, *M.I.R. lib. 5. cap. 2. reg. 4. in prin.* Se autem ultra triginta annos ligna secuisse & collegisse in sylua actoris. Ergo actioni esse præscriptum. Cui actor Maruius opponit replicationem hanc se non agere ex eo, quod reus antea in sylua egerit, sed de iure, quod reus in sylua actoris prætendit. Præscriptionem autem in vna re vel causa ad aliam rem vel causam, quæ præscripta non est, non extendi, *glos. in l. 2. in verbo quasiisti Cod. de seruitutibus & aqua.* Quæ replicatio qua ratione eliditur non video. Itaque pro actore contra reum censeo esse respondendum.

Idem argumentum tractat, *Schurff. cent. 3. cons. 8.*

Planè si reus prætenderet quod cum titulo bona fide sciente & paciente aduersario sylua vsus esset, aliud esset dicendum: de quo respondetur, *in centur. prox. respons. 24.*

LXVII. *Sempronius Berta fundum legat sub hac conditione. si ea fuerit desponsata. Queritur si cum esset Seio desponsata, sed nondum in*

domum eius traducta, nec ab eo carnaliter cognita, Seius moriatur, an legatum Berta debeat?

D I S P U T A T I O.

Hæres Sempronii excipiendo intentionem suam fundat in iure, quod deficiente conditione legatum non debetur: de quo, *M. I. R. lib. 4. ca. 10. reg. 42.* Berta ætrix negat conditionem defecisse. Causâ in eo consistit, an cōditio hæc, si fuerit desponsata deficiat si post sponsalia carnalis copula non sit secuta? Cuius probatio ipsi reo tanquã suæ exceptionis incumbit. Ad probandum autem vitur hoc argumento, quod verba cum effectu sint accipienda, *M. I. R. lib. 1. c. 1. q. 1. reg. 14.* Desponsatam autem nō videns effectu, hoc est carnali copula nondum secuto. Ex aduerso dicitur quod sponsa de præsentis appellatione vxoris contineatur, matrimonio etiam nondum consummate. Quod quidem controuertitur in odiosis, minimè verò in fauorabilibus, *M. I. R. lib. 3. c. 8. reg. 4.* At casus propositus fauorabilis est, vt voluntas defuncti conseruetur. Itaq; respondeo except. oppositam non satis esse probatam, sed reum ætrici ad fundum legatum restituendum teneri.

Idem

Idem argumentum tractat *Schurff cent. 3. conf. 9.*

LXVIII. Inter Titium & Seium conuenit de collectis à subditis perceptis aequaliter diuidendis. Moritur Seius magno ære alieno relicto ob quod filii defuncti à subditis impetrant collectas ad illud æs alienum soluendum. Queritur an filij defuncti istas collectas aequaliter cum Titio patre suo diuidere teneantur?

D I S P U T A T I O.

Titius intentionem suã fundat in contractu cum fratre suo inito de collectis æqualiter diuidendis. Excipitur quod societas morte socii soluatur, *M. I. C. li. 19. c. 10. q. 4. caus. 1.* Ideo filios defuncti tanquam hæredes patris pro socio actione ad cõmunicandas collectas nõ teneri. Cui quid obiici possit non video: nam contractum societatis speciem habere constat. Ideo pro filiis defuncti censco respondendum.

Idem argumentum sed aliis rationibus tractat, *Schurff. cent. 3. conf. 12.*

LXIX. Seius cum esset minor viginti quinque annis & curatorem haberet sine eo contraxit cum Mevio, in quo contractu non modicè læsus est: maior viginti quinque annis effectus intra quadriennium in integrum restitutio.

stitutionem non petiit. Quæritur an post quadriennium elapsum illi sit succurrendum?

D I S P U T A T I O.

Mæuius excipiendo intentionem suam fundat in iure, quæ post quadriennium finiti vicesimi quinti anni in integrum restitutio denegatur: de quo, *M. I. R. lib. 5. cap. 13. reg. 8.* Cuius exceptio est, nisi ipso iure non valeat quod minor gessit. *d. reg. 8. exce. 5.* Quæ exceptio propositæ causæ inest: si quidem minor curatorem habens sine eo contrahens ipso iure non obligatur, *l. si curatorem habens 3. Cod. de in integrum restitut. minori glossa ab omnibus adprobata in L. iusiurandum quod ex conventionem §. pupillus. in verbo debet in fine ff. de iureiurando.* Cui quid obstet non video. Itaque respondeo non obstante quadriennii præscriptione Scio contra Mæuium esse succurrendum,

L X X. Mæuius cum esset impubes & tutorem Scium haberet, feudum à patre suo sibi relictum intra annum & diem à morte patris non recognouit. Vnde Scius à domino impetret filium suum de illo feudo inuestiri. Mæuius autem pubes factus a tione tutela aduersus Scium instituta petit sibi feudum restitui. Quæritur quid iuris?

D I S-

D I S P U T A T I O.

Mæuius intentionem suam fundat in actione tutela, qua tutor res minoris ei tenetur restituere: de qua, *M.I.R. lib. 3. cap. 12. reg. 48.* Excipit Seius reus quod filius suus de feudo ab actore commissio à domino fuerit inuestitus. Quam exceptionem actor elidit replicatione hac, quod culpa tutoris rei cõuenti feudum sit commissum. Ergo exceptionem reo non prodesse: cum nemo ex suo delicto meliorem suam vel suorum conditionem facere possit, *M.I.R. lib. 5. cap. 11. reg. 16. except. 1.* Quæ replicatio neque negari, neque distinguendo elidi à reo potest. Itaque reus Seius ad feudum restituendum, vel eius æstimationem præstandam est condemnandus.

Idem argumentum tractat *Schurffius, cent. 3. cons. 19.*

LXXI. Cum Titius à Sempronio feudum recognosceret, aliquoties pro recognitione numeravit quatuor aureos. Queritur an Sempronius istam summam pro recognitione possit augere.

D I S P U T A T I O.

Quod iuris est in inuestitura, idem iuris etiam est in temporis præscriptione, *M. I. F. cap. 2. quest. 6. causa. 5.* At formam inuestitura

stitura dominus inuito vasallo mutare nō potest, *M. I. F. cap. 3. quæst. 3. reg. 19. & reg. 29.* Ergo non summam præscriptam mutare poterit.

Idem argumentum tractat, *Schurff. cens. 3. conf. 21. n. 13. cum quinq. seq.*

LXXII. Cum Seius Titio argentæum poculum commodasset, & illud repeteret, Titius obiicit dominij exceptionem, quod poculum illud fuerit Caij, cuius hæres Titius sit. Queritur quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Seius intentionem fundatam habet in cōmodati actione directâ: de qua agitur, *M. I. R. li. 5. c. 5. reg. 8.* Cui à reo except. domini obiicitur quod poculum iure hæreditario suum sit. Quæ exceptio subsistit *l. qui rem ff. depositi & l. qui rem propriam Cod. locati.* Sed actor replicare potest quamvis res commodata sit ipsius commodatarii possessionem tamen esse commodatoris, quæ ipsi sit restituenda exemplo *l. si quis condictionis C. locati.* Accedit glossa & *Ed. ibidem.* Cui quid obstat non video. Itaque respondeo Titium non obstante exceptione opposita ad possessionem poculi Seio re-

stituta.

fituendam esse condemnandum, saluam
 ipsi reo proprietatis causa.

LXXIII. *Maius & Sempronius fratres
 cum suis maioribus ultra centum annos praedium
 habuerunt commune pro indiviso, quod
 Maius nunc petit dividi. Queritur an sit au-
 diendus?*

DISPUTATIO.

Maius intentionem suam fundatam
 habet in actione communi diuidendo: de
 qua agitur, *M. I. R. libro quinto cap. 8. reg. 39.*
 Cui à Sempronio reo obiicitur praescriptio
 triginta annorum, ultra quos ista actio
 non competat, *d. reg. 30.* Sed replicando eli-
 ditur hoc modo, nisi ad diuidendum aga-
 tur: tunc enim perpetuo durat, *d. reg. 30. exc.*
 7. Quae replicat. propositae causae inest, nec
 aliqua duplicatione potest elidi. Ideoque
 pro actore Mauius est respondendum.

Idem argumentum tractat, *Schurff. cens.
 3. cons. 45.*

LXXIII. *Titius facto testamento Caium
 heredem instituit, qui mortuo Titio diu de ade-
 unda hereditate deliberat: interim moritur Se-
 ius frater Titij proximior ei ab intestato haeres:
 postea Caius hereditatem repudiat. Quo repudiate:
 Sempr. Titii patris tanquam proximior gradu
 heredi-*

hereditatem ab intestato petit. Cui se opponit Mauius Seij ex filio nepos, quod avus suus Seius tempore mortis Titij fuerit proximior ab intestato haeres ideoq; Sempronio praefereendus. Quæritur quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Sempronius intentionem suam fundatam habet in iure, quo proximior in gradu remotiorem à successione ab intestato excludit: de quo, *M.I.C. lib. 10. cap. 6. except. 1. in princ.* Excipit Mæuius Seium avum suum tempore mortis Titii tanquã fratrem defuncti fuisse proximior. Replicat Sempronius non referre quis mortis tempore fuerit proximior, sed quis proximior sit eo tempore, quo constitit Titium ab intestato fuisse defunctum. Id autem constitisse eo tempore, quo Caius hæres institutus hæreditatem Titii repudiavit. Quo tempore Sempronius tanquam defuncti patruus fuerit proximior Seio defuncti fratre tunc mortuo. Quæ replicatio approbatur, *M.I.C. dict. except. 1. repl. 8.* & quo ad factum non negatur, nec aliqua duplicatione potest elidi. Itaque pro Sempronio est pronunciandum.

LXXV. Mauius non habens legitimos liberos

liberos Caium filiam suam naturalem coram duobus testibus heredem instituit. Caius mortuo Mauius hereditatem eius ab adgnatis defuncti petit. Queritur quid iuris?

DISPUTATIO.

Caius intentionem suam fundat in testamento Mæuii patris. Excipitur ab adgnatis testamentum carere septem testibus. Ideoque nullum, *M. I. R. lib. 4. cap. 2. reg. 21. except. 26.* Replicat actor quod testamentum patris interliberos factum sustineatur etiam coram duobus testibus. *d. except. 26. repl. 6. & d. lib. 4. cap. 3. replic. 1.* Cui opponitur duplicatio hæc, nisi liberi sint naturales. Quæ duplicatio controuertitur, *d. replic. 1. dupl. 8.* Itaque cum sit controuersa; non videtur attendenda, quanquã, *Schurff. cent. 3. cons. 57.* eam approbat. Cui accederem nisi lege destituerer. Quod si dicamus communem opinionem pro lege accipiendam. Vtraque opinio, *dict. dupl. 8.* dicitur communis. Itaque tutius est verbis legis inhærere.

LXXVI. Mauius Titio Sej filio impuberi tutor datus in hereditate Seii inuenit chirographum suum, quo se Seio ex causa mutui in centum; & usurarum nomine obligauerat; quod

suppressit. Titius pubes factus cum in rationibus patris inueniret Mauium aliquot annis usuras soluisse, contra eum agit de annuis istis usuris soluendis: Mauius excipit solutionem sortis à se patri actoris factam. Queritur quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Mæuius excipiendo se fundat in solutione sortis, quam probat quod pater actoris chirographum sibi reddiderit, idque cancellatum in iudicio producit: quæ probatio subsistit, *M. I. C. lib. 24. cap. 21. causa 12*: Quæ probatio eliditur exceptione hac, nisi contra voluntatem creditoris debitor cautionem receperat, *d. caus. 22. exception. 1*. De facto huius exceptionis dubitatur: cuius probatio actori incumbit. Probat autem hac ratione quod inuentarium bonorum patris defuncti post mortem eius factum contineat illud chirographum non cancellatum. Inde facile infertur quod reus contra voluntatem defuncti chirographum receperit. Ideoque exceptio Mæuii tanquam noti satis probata non est admittenda.

LXXVII. Titius & Seius fratres hereditatem paternam æquis portionibus inter se diuiserunt.

ferunt. Quia diuisione facta testamentum patris inter chartas eius inueniunt, in quo pater Seio plus reliquit quã ei ex diuisione obegit. Quaeritur an Seius id, quod plus sibi in testamento patris relictum est, à Titio fratre petere possit?

DISPUTATIO.

Seius intentionem suam fundat in testamento patris. Cui obicitur à reo exceptio diuisionis semel factæ; Repliquatur à Seio quod propter testamentum patris postea repertum diuisio sit retractanda. Hoc Titius reus negat auctoritate, *l. sub pretextu Cod. de transactionibus.* Seius actor affirmatiuam probat, *l. De iis 6. ff. eod. titul. cum similibus,* quæ habentur, *M. I. C. libr. 2. cap. 41. question. 2. exception. 25.* Quæ videtur antinomia: Sed prior disponit de instrumentis in genere: posterior de testamentis & codicillis in specie. In omni autem iure generi per speciem derogatur. Itaque dicendum per replicationem actoris exceptionem rei elisam: ob id pro actore cõtra reum respondendum.

LXXVIII. Caius hereditatem fratris defuncti sibi delatã vendit Sempro. cumq; credito-

res hereditarii aduersus Caium venditorem agerent, nec ipse exceptione hereditatis venditæ defenderetur as alienum hereditarium ipsis soluere coactus est. Queritur an & qua actio ipsi eo nomine aduersus Sempronium emptorem competat?

D I S P U T A T I O.

Caius intentionem suam fundatam habet in venditi & negotiorum gestorum actione, quasi negotium emptoris gerens pro eo soluerit: de qua agitur, *M. I. C. libr. 18. cap. 6. quest. 2. reg. 12. & reg. 15.* Excipit reus quod actor suum potius, quam rei conuenti negotium gessisse videatur: cum actiones hereditariæ aduersus veditorem, non emptorem hereditatis competant per ea, quæ habentur *d. reg. 15. except. 1.* Quæ ratio non est sufficiens: licet enim venditor creditoribus hereditariis sit obligatus: tamen æs alienum hereditatis venditæ onus est, & ipsum hereditatem sequitur. Proinde emptoris negotium venditor gessisse videtur. Ideoque exceptio proposita *d. except. 1. reprobat.* Proinde pro Caio contra Sempronium respondendum est.

LXXIX. Cum Titius à Mevio, qui non est soluendo, sciens fundum creditoribus pignori obligat

obligatum emisset, accepit Seium pro euictione fideiussorem, cui ut fideiuberet persuasit Mauium esse soluendo. Queritur si Titio fundus à creditoribus Mauij euincatur, an actio illi aduersus Seium competat?

DISPUTATIO.

Titius intentionem suam fundatam habet in actione ex stipulatu fideiussoria: de qua, *M.I.R.lib.5.cap.9.reg.5.* Cuià Seio reo opponitur exceptio doli mali quod ab actore dolo inductus fideiussert. Quæ exceptio approbatur, *M.I.R.lib.5.cap.11.reg.15.* & causæ propositæ inest: cum reus ab actore falso persuasus sit Mauium esse soluendo, nec quâ replicatione possit elidi video. Itaque puto Seium ab actione instituta esse absoluendum.

Idem argumentum tractat, *Schurff.cent. 3 conf.71.*

LXXX. Riuulus parvus transiens per prædium Mauij, ad flumen publicum absorbetur per stagnum de nouo à Mauiio factum in dicto prædio. Seius habens molendinum in dicto flumine publico vult prohibere Mauium ne impediatur quo minus riuulus labatur ad flumen publicum. Queritur an possit?

D I S P U T A T I O.

Seius intentionem suam fundat in interdicto Prætoris de flumine publico: de quo, *M.I.C. lib. 8. cap. 18.* Excipit Mæuius, nisi in suo fecerit. Quæ exceptio approbatur *M.I.R. libro 3. cap. 18. reg. 44.* Et propositæ causæ inest *argumento l. 1. §. illud Labeo dixit. ibi, ut semel in fundum meum ff. de aqua quotidiana & æstiva.* Replicat actor, nisi quis in suo faciendo vicini conditionem faciat deteriore *dict. regul. 44. exception. 1.* Cuius duplicatio est, nisi vicino seruitutem non debeat *dict. exception. 1. replicat. 2.* Actor negat triplicando minorem propositionem affirmans seruitutem molendino suo deberi. Probat illud hac ratione Quia ultra hominum memoriam riuus ad flumen publicum fluxerit, & ita molendino actoris seruerit. Quæritur an ex eo seruitus sit acquisita molendino actoris? Præsumitur pro negatiua: quia ex actibus meræ facultatis quantocunque tempore non oritur seruitus vel præscriptio contra permittentes per ea, quæ habentur *dict. repl. 2. dupl. 1.* Quibus accedit *Schurff. centur. 3. consil. 16. num 1. cum seq. & conf. 77. in fine.* constat ergo replicationem actoris duplicatione rei e-

lissam

lisam esse. Ideoque pro Mæuio reo respondendum.

Idem argumentum tractat, *Sch. d. cons. 77.*

LXXXI. Titius cum à Mæuio fundū emisset, agit contra venditorem quāto minoris actione, quod fundus emptus Sempr. seruitutem debeat. Queritur si actori de euictione tantum sit, nec is totum precium soluerit, an sit audiendus?

D I S P U T A T I O.

Titius intentionē suam fundatā habet in actione quāto minoris: de qua agitur *M. I. C. li. 18. c. 13.* Mæuius reus opponit exc. precii nondum soluti. Quæ approbatur, *M. I. R. li. 5. c. 6. reg. 16. exc. 3.* & causæ propositæ inest, nec aliqua repl. potest elidi. Itaq; dicendū reum ab instantia esse absolendum.

Idē argumentū tractat, *Sch. cent. 3 cons. 93.*

LXXXII. Mæuius, Seius & Sempr. fratres vendiderunt pradium commune, & precium acceperunt. Postea Sempronius, qui est minor 25. annis, aduersus venditionem in integrum restituitur. Queritur an illa in integrum restitutio fratribus etiam, qui maiores annis viginti quinque fuerunt, inuito emptore sit concedēda?

D I S P U T A T I O.

Emptor excipiendo intentionem suam fundat in iure, quo in integrum resti-

tutio alii quam minori non est concedenda: de quo, *M.I.C. libr. 25. cap. 4. quest. 5. reg. 1.* Cuius exceptio videtur in socio minoris. Quæ tamen exceptio reprobatur, *M.I.C. d. reg. 1. except. 5. & M.I.R. lib. 5. cap. 1. reg. 19. exc. 2.* Itaque dicendum fratribus ætate maioribus in integrum restitutionem minoris non prodesse, nisi emptor consentiat, vel res vendita sit indiuidua.

Idem argumentum, sed in contrarium tractat *Schurff. centur. 3. cons. 94. num. 4. cum seqq.*

LXXXIII. Cum Titius Vasallus de feudo suo infeudasset Seium, moritur sine hæredibus masculis. Queritur an subinfeudatio euanescat?

D I S P U T A T I O.

Dominus feudi intensionem suam fundat in regula iuris hac Resoluto iure datoris resolui etiam ius acceptoris: de qua *Methodo reg. iuris cap. 7. in loco causa efficiente. reg. 5.* Cuius exceptio est in casu subinfeudationis proposita. Quæ exceptio est controuersa, *M.I.F. cap. 5. q. 1. causa 37. except. 3. repl. 8.* Approbatur tamen *supra 1. §. 1. ver. 20. exc. quod ille.* Qualiter olim poterat feudū alienari. Accedit *Schurff. cent. 13. cons. 92. n. 2. vers.*

vers. Et decedentem Vasallo? Itaque exceptio proposita quamvis controuersa, ob rextum tamen expressum est admittenda, & pro Seio subinfeudato respondendum.

LXXXIII. Berta habens filium ex primo matrimonio nuptias iterat: moritur postea filius ille relictis bonis à patre profectis. Queritur vtrum Berta in istis bonis vsumfructum tantum habeat, an plenum dominium.

DISPUTATIO.

Adgnati defuncti intentionem suam fundant in iure quo mulier nuptias iterans non nisi vsumfructum habet in bonis filii primi matrimonii defuncti: de quo, *M.I.R. lib.3.cap.8.reg.66.in princ.* Cuius exceptio est, nisi nulli liberi ex priore matrimonio supersint: tunc enim plenum habet dominium, *d.reg.66.except.1.* Quæ exceptio propositæ causæ inest, nec aliqua replicatione potest elidi. Itaque pro Berta contra adgnatos censet respondendum.

Idem argumentum tractat *Schurff.cent. 3.conf.91.numer.13.Grauetta conf.523.*

LXXXV. Mauus feudum nouum, quod à Titio recognoscebat, eidem Titio refutauit: qui postea Seium de eo inuestiuit. Queritur an filius Mauij illud possit reuocare?

DISPUTATIO.

Filius Mæuii intentionem suam fundatam habet in iure, quo feudo à Vasallo alienato adgnatis alienantis feudum licet reuocare: de quo, *M.I.F. cap. 5. q. 1. caus. 37. except. 25. repl. 1.* Cuius exceptio est, nisi feudum alienatum nouum sit *d. repl. 1. dupl. 1.* Quæ exceptio propositæ causæ inest. Sed eliditur replicando in filio alienantis *d. dupl. 1. tripl. 1.* Vbi tamen replicatio hoc apparet controuersa: ideoq; non est admittenda, sed contra filiū Mæuii respondendum.

Idem argumentum tractat, *Schurff. cent. 3. cons. 96.*

LXXXVI. Titius aedes suas vendidit Sempronio pro trecentis aureis annua, bima, trima die soluendis, super quo contractu Sempronius suum chirographum fecit legi coram venditore & duobus testibus, postea subiecit aliud chirographum, in quo ducenti pro trecentis scripti erant, quod à testibus pro primo subscriptum est & Titio venditori traditum, qui credens illud chirographum esse quod coram testibus lectum erat illud reposuit. Cum autem emptor duabus vicibus ducentos aureos soluisset, reliquos centum aureos soluere detrectat. Venditor producit emptoris chirographum, producit etiā testes coram quibus

quibus chirographum lectum erat. Constabat de dolo emptoris. Queritur quid iuris?

DISPUTATIO.

Titius venditor agens ad rescindendū contractum, & ædes restituendas intentionem suam fundat in actione de dolo: de qua, *M.I.C. lib. 25. cap. 3. quest. 7. reg. 1. & M.I.R. lib. 5. cap. 13. reg. 15. cum seq.* Cuius exceptio est, nisi dolus incidens fuerit, qui non dedit causam cōtractui: hoc enim casu ad interesse tantum, non ad negotium rescindendum datur actio, *M.I.R. d. c. 13. reg. 1. exo. 1.* Quæ exceptio propositæ causæ inest, nec aliqua replicatione potest elidi. Itaque respondeo Titio non nisi in id, quod sua interest actionem competere.

LXXXVII. Mauius princeps vendidit arcem N. cum suis pertinentiis nobili Seio pro mille aureis cum pacto de reuendenda. Postea orto bello contra Mauium Seius hostibus Mauij militauit. Queritur an ob id Mauius arcem sine precio à Seio possit recuperare?

DISPUTATIO.

Mæuius intentionem suam fundat in iure, quo Vasallus contra dominum militans amittit feudum: de quo, *M.I.F. cap. 5. question. 5. causa vigesimo sexto.* Seius
reus

reus negat se arcem litigiosam ab actore in feudum recognoscere, nec actor id probare potest: sed ait ius feudale hoc casu ad venditionem esse extendendum. Quæ extensio controuertitur, nec est admittenda: cum non sit eadem ratio, & in pœnali- bus extensio locum non habeat, *M. I. R. lib. 1, cap. 1. reg. 5. except. 6.* Itaque contra actorem Mæuium est respondendum.

LXXXVIII. Titius Seio equum vendidit uno oculo carentem, quod Seius non animaduertens Titio precium pro equo soluit. Postquam verò equum abduxisset, vitium intellexit, & contra Titium redhibitoria egit. Queritur, quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Seius intentionem suam fundat in iure, quo res vitiosa empta redhiberi potest precio recepto: de quo, *M. I. C. lib. 18. cap. 12.* Cuius exceptio est, nisi emptor vitium rei intelligere potuit, *d. cap. 12. q. 3. except. gener. 10.* Quæ exceptio propositæ causæ inest: si quidem Seius antequam equum emeret haud difficulter videre atque intelligere potuit equum oculo carere. Quæ exceptio qua replicatione elidi possit non video. I-

taq;

taq; respondeo Titium ab actione instituta esse absoluendum.

LXXXIX. Dorothea heredem instituit Mauium, ex filio nepotem suum ita ut hereditate priuaretur, si sine consilio & voluntate patris uxorem duceret. Mauius inconsulto patre uxorem duxit. Queritur an hereditate sit priuandus?

DISPUTATIO.

Pater Mæuii intentionem suam fundat in fideicommissio testatricis matris, quasi Mæuius hæres institutus rogatus esset hereditatem patri restituere sub hac conditione, si sine consilio & voluntate patris uxorem duxisset. Quæ conditio sit impleta. Excipit Mæuius quod conditio ista tanquã impedimentum matrimonii lege remittatur, & pro non adiecta habeatur, *l. cum tale 70. §. si arbitratur ff. de condit. & demonstrat.* Replicat actor quod hoc verum sit ab iure antiquo quo conditio non nubendi fauore matrimonii remittebatur. Sed iure nouo illam non remitti, *M. I. C. lib. 14. cap. 3. condit. 2. in fine.* Itaque dicendum dictam conditionem, si sine consilio & voluntate patris uxorem duceret, iure non remitti, sed pro actore in casu proposito respondendum. Idem

Idem argumentum tractat , *Grauetta
consil. 1.*

*X C. Berta Scio genero omnia sua bona do-
navit , & inter ea etiam quinquaginta florenos,
qui Anna alteri filie donatricis ex paterno testa-
mento debebantur , soluendos dicta Anna cum
nuberet. Antequam autem Anna nuberet mori-
tur. Queritur utrum dicti quinquaginta flore-
ni Berta matri restitui, an Scio donatario relin-
qui debeant?*

D I S P U T A T I O .

Berta intentionem fundatam habet in
iure, quo datum ob causam causa non se-
cuta condici potest: de quo, *M. I. C. libr. 253
cap. 10. & M. I. R. lib. 4. cap. 11. reg. 10. except. 24.
item lib. 5. cap. 13. in fine.* At summa quæ pe-
titur, ob dotem data est, quæ nuptiis non
secutis nulla est. Huic obstet exceptio hæc,
nisi per reum non steterit quo minus cau-
sa sit secuta, *M. I. C. d. cap. 10. q. 1. exc. 4.* Quæ
exceptio propositæ causæ inest: sed eliditur
replicatione hac, nisi cum nuptiarum cau-
sa datum effet, nuptiæ secutæ non sint, *M. I.
C. d. c. 10. q. 2. reg. 2.* Cui quid obstet non vi-
deo. Itaque respondeo reum ad restitutio-
nem esse condemnandum.

Idem

Idem argumentum sed in contrarium tractat, *Grauetta conf. 15.*

XC I. Titius à Scio hæres institutus rogatus est post mortem suam hereditatem Sempronio restituere. Hæres Titij legata à Titio aliis soluta ex fideicommissio detrahit. Queritur an iure hoc faciat?

DISPUTATIO

Sempronius fideicommissarius intentionem suam fundat in iure, quo ea, quæ post mortem testatoris decedunt non minuit hæreditatem, sed in quartam hæredi computantur: de quo, *M. I. C. lib. 13. cap. 16. §. 5. reg. 2.* Excipit hæres Titii, nisi æs alienum sit quod decedit: hoc enim ex hæreditate deducendum *d. q. 5. reg. 4.* At æri alieno connumerantur legata, quibus cum reliquo ære alieno deductis, si quid ex bonis testatoris superest, ex eo Trebellianica seu quarta computatur.

Idem argumentum tractat *Grauetta conf. 16. n. 2. cum seqq.*

XC II. Manius testamento posthumum prateriit. Queritur si testamento adiecta sit clausula codicillaris, an testamentum adgnatione posthumi non rumpatur?

DIS

D I S P U T A T I O.

Hæres ab intestata intentionem suam fundat in iure, quo testamentum adgnatione posthumi rumpitur: de quo, *M. I. R. lib. 4. cap. 4. except. 12.* Cui obstat exceptio hæc, nisi testamento adiecta sit clausula codicillaris: per eam omni posthumus præsumitur rogatus scriptis hæredibus hæreditatem restituere salva Trebellianica *dict. except. 12. repl. 4.* Quæ exceptio propositæ causæ inest, nec qua replicatione elidatur animaduerto. Itaque pro testamento respondendum esse censeo.

XCIII. Titius Berta uxoris sue centum legavit. Ea post mortem mar. ti intra annum nuptias iterat. Queritur an legatum petere possit?

D I S P U T A T I O.

Berta intentionem fundatam habet in testamento Titii mariti defuncti. Cui obstat exceptio hæc, nisi intra annum luctus nuptias iterasset. Quæ exceptio approbatur, *M. I. R. lib. 3. cap. 8. reg. 62.* Sed iure canonico sublata est, *d. reg. 62. vers. Planè iure & d. cap. 8. reg. 72.* Itaque pro Berta est respondendum.

Idem argumentum tractat, *Grauetta cons. 36.*

XCIIII.

XCIIII. *Maius decessit intestatus relicto Seio patre & duabus sororibus, nec non bonis non solum maternis, sed etiam aliis aduentitiis. Queritur si pater nuptias iteravit iam in aliis bonis præter bona materna plenum habeat dominium?*

DISPUTATIO.

Sorores defuncti intentionem suam fundant in iure; quo parens nuptias iteras ex successione filii solum acquirit usufructum: de quo, *M. I. R. lib. 3. cap. 8. reg. 66.* A quo iure excipiuntur bona, quæ filius defunctus non à matre, sed aliunde adquisivit, *d. reg. 66. excep. 2.* Quæ exceptio propositæ causæ inest, nec aliqua replicatione potest elidi. Proinde dicendum patrem Seium aliis in bonis præter materna plenum habere dominium.

Idem argumentum tractat *Grauetta cons. 37. num. 2.*

XCV. *Maius filios suos Titium & Seium heredes instituit, & si unum ex iis sine herede mori contingeret ei superstitem cum liberis suis substituit. Moritur postea Seius nullis post se relictis liberis, sed Berta sorore sua herede instituta. Titius ex substitutione portionem fratris à Manio patre acceptam veditat. Queritur quid iuris?*

DIS-

D I S P U T A T I O.

Titius intentionem suam fundat in substitutione patris. Excipit Berta soror defuncti conditionem substitutionis defecisse. Quia non possit dici sine hærede decessisse, qui sororem hæredem reliquerit. Replicat Titius actor vocabulum hæredis in conditione positum non de quolibet hærede, sed de liberis defuncti esse intelligendum: hanc enim fuisse mentem testatoris. Quod Berta negat, lis est de voluntate testatoris, vtrum appellatione hæredis senserit tantum de liberis præmortui, an de qualibet hærede? Probatio aëtori tanquam suæ replicationis incumbere videtur, præsertim cum propriè vocabulum hæres accipiatur de quolibet successore vniuersali tam ex testamento, quàm ab intestato. Sed quia rarissimè quis sine tali hærede moritur, & vulgus etiam eum, qui nullis liberis post se relictis sine hærede mori dicat, verisimile est testatorem ad hanc vulgi significationem respexisse. Ideoq; pro Titio aëtoe est respondendum.

Idem argumentum tractat, *Granetta conf. 38.*

XCVI. *Titius acceptis centum aureis pæ
Etate*

Etiam fecit fratri Seio de non Succedendo patri, qui præsens fuit & consensit. Mortuo patre nihilominus Titius petit hereditatem paternam. Queritur quid iuris?

DISPUTATIO.

Seius reus excipiendo intentionem suam fundat in pacto de non succedendo patri à Titio sibi facto: Replicat actor Titius quod tale pactum non valeat: de quo, *M. I. R. libr. 4. cap. 1. reg. 10. & cap. 6. post. reg. 9. exception. 3. replicat. 3.* Duplicat contra reus quod pater, de cuius hereditate agebatur, præsens fuerit, & in pactum consenserit. Quo duplicatio approbatur. *dict. reg. 10. exceptione prima.* Cui quid obstet non video. Itaque pro Seio reo respondendum esse censeo.

Idem argumentum tractat, *Grauetta conf. 52.*

XCVII. Seius Manium heredem instituit hoc modo, ut intra annum à morte testatoris uxorem duceret ac uxori testatoris quoad viueret seruitia præstaret. Seio mortuo Manius uxori testatoris seruitia præstitit, sed uxorem non duxit. Seii heredes ab intestato ab heredibus Manij hereditatem Seii repetunt hac ratione quod

Mauius uxorem non duxerit, & sic modum institutionis non impleuerit. Queritur quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Actores intentionem suam habēt fundatam in iure, quo hæres modo institutionis non impleta hæreditate priuatur: de quo, *M. I. R. lib. 4. cap. 4. except. 5.* Cuius exceptio est; nisi modus hæredis tantum gratia institutioni sit adiectus. Quæ exceptio approbatur exemplo; *l. Titio 69. in princ. ff. de condit. & demonstrat. l. 2. §. fin. cum l. seq. ff. de donat.* Et causæ propositæ videtur in se, nec aliqua replicatione potest elidi. Itaque reos ab instituta actione censeo absoluedos.

Idem argumentum tractat, *Grauetta cons. 59. Decius cons. 238. num. 6.*

XCVIII. Berta emit vineam centum aureis, eamque post biennium tradit Mauio suo marito asserens se mariti pecunia vineam emisse. Tandem reuocat vineam quasi donandi animo asseruerit mariti pecunia vineam esse emptum. Queritur quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Berta intentionem suam fundat in iure; quo donatio inter virum & uxorem à donante potest reuocari: de quo, *M. I. R. lib.*

cap. 11. reg. 47. Maritus reus negat donationem esse factam, sed ait vineam in solutum sibi datam pro pecunia sua, qua fuit empta: idque probat confessione actricis. Actrix non negat confessionem à se factam esse, sed dicit eam fuisse simulatam animo donandi. In hoc causa consistit vtrum confessio actricis fuerit vera, an simulata? Cuius probatio actrici incumbit: cum simulatio non præsumatur, nisi probetur, *Grauetta conf. 145. n. 2.* Quod si in probatione defecerit, pro marito erit respondendum.

Idem argumentum tractat *Grauetta conf. 81.*

XCIX. Seia accepta dote renunciauit mediante iuramento hereditati paterna, materna, & fraterna, tandem moritur relicto filio Mæuio superstitute matre & fratre Titio. Queritur si postea moriatur mater, an filius Seia Mæuius cū auunculo suo Titio defunctæ auia ab intestato succedat?

D I S P U T A T I O.

Mæuius intensionem suam fundatam habet in iure, quo nepos auia defunctæ cum auunculo ab intestato succedit: de quo, *M. I. R. lib. 4. cap. 6. reg. 2. exception. 1.* Ex-

cipit Titius reus si non mater Mæuii hæreditati maternæ renunciaffet. At ea renunciauit. Ergo, &c. Quæ exceptio approbatur, *dict. cap. 6. post. reg. 9. exception. gener. 14.* Sed contra replicat actor quod exceptio ista procederet si ex persona matris actor hæreditatem auix peteret. At cum mater ante auiam decesserit, actor ex propria persona agit. Quo casu exceptio illi non obstat, *dict. exception. 4. replicat. 2.* Cui replicationi quid obftet, non video. Ideoque pro actore Mæuio respondendum censeo,

Idem argumentum tractat, *Gravetta cons. 127. & Decius cons. 181.*

C. Dorothea cum maritus in bello abesset, fundum dotalem necessitate famis coacta Sempronio vendit, quem maritus reuersus à Sempronio euincit. Queritur an mortuo marito venditio conualescat?

D I S P U T A T I O.

Sempronius intendit aduersus Dorotheam empti actionem ad fundū venditum sibi tradendum. Excipit rea quod venditio fundi dotalis ab vxore facta non subsistat, *M. I. R. lib. 3. cap. 9. reg. 52.* Replicat actor, quod rea mortuo marito dominium fundi

fundi dotalis receperit. Ideoque ad eum tradendum teneri. Quæ replicatio approbatur, *M.I.R. lib. 3. cap. 13. reg. 24. exception. 1. replic. 3.* Et negari de facto non potest, nec aliqua duplicatione elidi. Itaque pro actore est respondendum.

Idem argumentum tractat, *Grauetta consil. 534.*

Secundæ centuriæ Responso-
rum Iuris.

FINIS.

Q +

NI

248 RESPONSORVM IVRIS
NICOLAI VIGELII I. C.
RESPONSORVM IVRIS,
CENTVRIA III.
I. C A V S A.

Cum Sempronius crimen laesa maiestatis commisisset, bona eius publicantur, & cum quadam bona extra territorium confiscantis sita haberet, queritur utrum ista bona fisco principis, an domino territorii debeantur?

D I S P V T A T I O.

Fiscus intentionem suam fundat in iure, quo omnia bona damnati fisco deberi praesumuntur: de quo, *M. I. R. lib. I. cap. 11. reg. 36.* Cuius exceptio est in bonis extra territorium confiscantis sitis: Hæc enim domino territorii debentur, *d. reg. 36. exce. 21.* Secundum quam exceptionem puto contra fiscum esse respondendum.

Idem argumentum tractat, *Grauetta cons. 128.*

II. Titius coram quinque testibus Seio promissit bona sua post mortem suam. Mortuo Titio Seius agit aduersus heredes Titii ad bona promissa sibi testanda. Queritur quid iuris?

D I S P V T A T I O.

Heredes Titii excipiendo intentionem
suam

suam fundant in iure, quo pactis non datur hæreditas: de quo, *M. I. R. lib. 4. cap. 1. reg. 10.* Replicat actor Seius, aliud esse pactum de futura hæreditate, aliud promissionem bonorum post mortem, quæ donationi mortis causa æquiparetur. Hac replicatio approbatur, *d. reg. 10. except. 3.* Cui quid obstet non video. Ideoq; pro Seio actore censeo respondendum.

Idem argumentum tractat, *Gruetta cons. 139.*

III. *Maius facto testamento, in quo filios suos equaliter heredes instituit, postea aliud fecit testamentum, in quo paucis commutatis prius testamentum confirmat. Queritur cum nemo possit decedere cum duobus testamentis æquè valentibus, glossa in §. posteriore inst. quibus modis testam. infirmantur, utrum testamentum alteri derogat?*

D I S P U T A T I O.

In dubio posterius præsumitur priori derogare, *M. I. R. lib. 4. cap. 4. except. 16. in pr.* Cui obstat exceptio hæc, nisi prius per posterius sit confirmatum, *d. except. 6. repl. 13.* Quæ exceptio propositæ causæ inest. Itaq; dicendum prius testamentum valere tanquam testamentum, & posterius vim ha-

Q 5 bre

bere codicilli, in quo hæreditas nec dari, nec adimi potest, nisi per fideicōmissum.

Idem argumentum tractat, *Grauetta cons 143.*

*IIII. Titius heredem instituit Seium, & Mauio legat prædium N. Mortuo Titio Seius Mauium heredem instituit, eiq³ si sine liberis decesserit substituit Dorotheam & Annam sorores suas, quib. petit totam suam hæreditatem restituui. Queritur existēte cōditione substitutionis, an Mauij haeres in restitutione hæreditatis deducere possit prædiū N. in testam. Titij Mauio legatum? Respondeo quod sic per ea, quæ habentur, *M. I. C. lib. 13. c. 6. quantū veniat, reg. 21. & c. 16. q. 5. reg. 4. exc. 4. item c. 19. q. 3. reg. 6.**

Idem argumetū tractat *Grauetta cons. 144.*

V. Berta testamento factō instituit heredem Seium filium, & Titium maritum, eosq³ inuicē substituit, & eo casu Mauium substituit, dubitatur utrum in primo, an in secundo gradu Mauius sit substitutus?

DISPUTATIO.

Facti quæstio est quid voluerit testatrix. Quæ quæstio ex arbitrio iudicis pendet, de qua non solent respondere Iurisperiti. In dubio tamen contra eum respondendum erit qui in hac dubia testatrix voluntate

Iurata intentionem suam fundat, est autem verisimile post hæc verba & eo casu omissum esse quo vterque decesserit, ut Mæuius non in primo, sed in secundo gradu substitutus videatur,

Idem argumentum tractat *Grauetta cons. 147.*

V I. Mæuius testamento facto instituit heredem Scium filium suum, eiq; si sine liberis decesserit, substituit Titium, cui etiam decedenti sine filio masculino substituit Sempronium, eiusq; filios masculos. Quæritur si omnes isti decesserint sine filiis masculis, & ex Sempronio supersit Caius ex filio nepos, an hic censeatur vocatus?

DISPUTATIO.

Caius nepos Sempronij intentionem suam fundatam habet in iure, quo appellatione filiorum etiam nepotes continentur: de quo, *M. I. R. lib. 5. cap. penult. in verbo Titii appellatione.* Et si autem hoc ius ex dicto loco apparet controuersum, tamen nititur certis legibus, quas *M. I. C. libr. 25. cap. penult. in verbo Filius quis sit collegi.* Ideoque ei insistendum donec contraria testatoris voluntas probetur.

Idem argumentum tractat *Grauet. cons. 155.*

VII.

VII. Titius à Seio petit pensionem viginti nouem annorum ratione cuiusdam prædij patri Seij à patre Titii quondam locati, producto super hoc locationis instrumento. Seius reus negat prædium patris actoris fuisse, sed dicit sui patris fuisse. Queritur quid iuris?

DISPUTATIO.

Titius intentionem suam fundat in locatione prædij patri Seij à patre suo quondam facta, eamque probat locationis instrumento. Excipit reus prædium locatum nunquam patris actoris fuisse, sed sui patris fuisse. Ideoque locationem non valere. Replicat actor istam exceptionem etiam stante facti veritate, conductori eiusque hæredibus ante restitutum prædium non competere, *ex l. si quis conductionis 25. C. locati*. Duplicat reus hanc replicationem competere si locati actione ageretur, Sed hoc casu non locati actione, sed rei vendicatione agi: quo casu reus non prohibetur domini quæstionem referre. Causa in hoc consistit vtrum locati actione, an rei vendicatione actum sit? *Grauetta conf. 157.* ait rei vendicatione actum esse, mihi contra videtur: nec enim pensio viginti nouem annorum venit in rei vendicationem, sed in

in locati actionem. Itaque respondeo res ante restitutum prædium dominii quaestionem auctori referre non posse.

Idem argumentum sed in contrarium tractat, *Gravetta d. cons. 157.*

V III. Maius factò testamento instituit heredem Titium filium suum, & post eum omnes ipsius liberos masculos, & si quis ex ijs decederet, substituit eius liberos masculos omnibus autem testatoris descendensibus defunctis substituit ultimo morienti propinquiorem sui generis in gradu. Tandem omnibus descendensibus, testatoris defunctis superest propinquior gradu C. testatoris ex fratre nepos, eiusque soror Berta. Queritur utrum Caius solus, an cum eo soror sua ex substitutione Mauro succedat, & an Caio etiam defuncto eius portio sorori deferatur?

D I S P U T A T I O.

Caius intentionem suam fundat in cōiecturata mente testatoris, quod voluerit hereditatem suam ad solos masculos pervenire, cum non nisi masculos instituerit & substituerit, sed in contrarium, videtur testatorem voluisse omnibus descendensibus masculis deficientibus propinquiorem substitutum siue mas siue foemina esset: cum foemina æque ac mas propinquior gradu

gradu esse potuerit, & maiorem gradum remotiorem excludere: nec refert quod in singulari numero propinquiores substituerit, cum omnes eiusdem gradus consecutus substituti: *M.I.C. lib. 13. cap. 1. quest. 3. reg. 17.* Itaque dicendum Bertam cum Caio fratre ex substitutione admittendam esse: vtrum autem Berta fratri pre-morienti videatur esse substituta controuertitur, *M.I.R. lib. 4. c. 5. reg. 7.* Itaque cum hæc substitutio sit controuersa, non est admittenda.

Idem argumentum tractat, *Grauetta conf. 161.*

IX. Titius testamento facto cuiuslibet, qui in bonis suis ius successionis ab intestato pretendit, centum legauit, in eaque summa cum heredem instituit. Queritur an Berta Titij auia paterna, qua sola ei ab intestato hæres esse potuit, per dicta verba dicatur hæres instituta, ne tanquam præterita testamentum possit dicere nullum?

DISPUTATIO:

Berta dicens testamentum nullam intentionem suam fundat in iure quo parentes à liberis præteriti testamentum nullum dicere possunt: de quo, *M.I.R. lib. 4. cap. 2. reg. 21. except. 110.* Excipiendo negatur illam esse præteritam. Causa in hoc consistit

ſiſtit an auia teſtatoris non nominatim, ſed inter cæteros hæres inſtituta pro præterita habeatur? Dicendum eſt quod non. Licet enim exhæredatio liberorum & parentum nominatim fieri debeat, non inter cæteros *M. I. C. libr. 9. cap. 14. except. 196.* tamen de inſtitutione hæredum hoc non legitur cautum, nec rectè ab exhæredatione ad inſtitutionem hæredum hoc caſu argumentamur: cum exhæredatio ſit odioſa inſtitutio fauorabilis. Quin etiam exhæredatio rectè fit non expreſſo proprio nomine, ſi teſtator non niſi vnicum filium habuerit, *M. I. C. dict. except. 196. replic. 1.* At in caſu propoſito teſtator non niſi vnicam hæredem ab inteſtato auiam habuit. Non igitur rectè dici poteſt præterita eſſe.

Idem argumentum tractat, *Grauetta conſ. 162.*

X. *Titius & Seius hæredes à Mauio ſunt inſtituti, & Seius poſt mortem ſuam rogatus eſt portionem ſuam Sempronio reſtituere. Quæritur an hæres Seij in reſtitutione portionis poſſit detrabere Trebellianicam?*

D I S P U T A T I O.

Hæres Seij intentionem ſuam fundat in
iure

iure, quo hæres grauatus hæreditatem restituere quartam hæreditatis partem, quã Trebellianicam vocant, detrahit: de quo, *M. I. R. lib. 4. cap. 10. reg. 30.* Cui obicitur exceptio hæc, nisi pro parte hæres rogatus sit suam partem alteri restituere. Quæ exceptio apparet controuersa per ea, quæ tradit *Grauetta cons. 186.* Ideoque non est admit- tendenda, licet ratio Trebellianicæ detrahen- dæ, quæ est, ne testamentum non adita hæ- reditate irritum fieret *inst. de fideicom. here- dit. titibus §. sed quia her. dis*, in particulari hærede cesset: cum sufficiat cohæredem adire. Namque eadem est ratio legis Falci- diæ *inst. de leg. Falcidia. in prin.* Attamen Fal- cidiam etiam particulatis hæres detrahit *inst. d. tit. §. Et cum quaesitum.* Itaque dicen- dum hæredi Scii exceptione opposita non obstante detractionem Trebellianicæ esse permittendam.

XI. Caius uxori usumfructum omnium bonorum legauit, & aliis legata soluenda ex bo- nis. Hæres vult vendere aliqua bona hæredita- ria, ut soluat legata, uxor defuncti contradicit. Queritur quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Vxor intentionem suam fundat in iu-
re, quo

re, quo usufructuarius non tenetur solvere æs alienum hæreditarium: de quo, *M. I. R. lib. 4. cap. 9. reg. 11. except. 1. & lib. 5. cap. 1. reg. 27. except. 6.* At bonis ab hærede venditis ad soluenda legata, usufructuarius in effecta solueret æs alienum hæreditarium. Ergo venditio hæredi non permittenda. Excipit contra hæres quod bona intelligantur deducto ære alieno, *M. I. R. lib. 4. cap. 8. reg. 24. except. 21. repl. 5. duplic. 7.* Qua exceptione eliditur intentio vxoris: Itaque pro hærede est respondendum.

Idem argumentum tractat, *Grauetta cons. 187.*

XII. *Seius Titio donari prædium mille aureorum, postea pœnitentia ductus cum ignorasset verum precium prædij agit ex leg. 2. C. de rescind. vendit. Queritur quid iuris?*

D I S P U T A T I O.

Seius intencionem suam fundat in iure, quo contractus, in quo quis ultra duplum læsus est, rescindi potest: de quo, *M. I. R. lib. 5. cap. 6. reg. 12. except. 9. dist. 3. in princ.* Cui opponitur exceptio hæc, quod ius istud in donatione locum non habeat, *dist. 3. repl. 10.* Quæ exceptio propositæ causæ inest: Sed eliditur replicatione hæc, nisi

R

donat

donator verum rei donatæ precium ignorasset *d. repl. 10. dupl. 1.* Quæ replicatio propositæ causæ inest, nec qua duplicatione possit elidi video. Itaque pro actore Scio, respondendum esse puto.

Idem argumentum tractat, *Grauetiâ cons. 192.*

XIII. *Mæuius minor viginti quinque annis contra prohibitionem patris prædium N. alienavit. Queritur si pater patria nomine prædium illud, si à filio esset alienatum, uxori suæ legasset, an Mæuius ratione ætatis aduersus istam alienationem in integrum restitui debeat?*

D I S P U T A T I O.

Mæuius intentionem suam fundat in iure, quo minoribus læsis per in integrum restitutionem subuenitur: de quo, *M. I. R. lib. 5. cap. 13. reg. 18.* Cuius exceptio est, nisi minor deliquit: hoc enim casu ei non succurritur *d. reg. 18. except. 2.* Quæ exceptio propositæ causæ inest: cum minor contra prohibitionem patris prædium alienauerit *l. si ex causa 9. §. nunc videndum ff. de minoribus viginti quinque annis.* Cui exceptioni quid obstat non video, nisi Mæuius replicando obiiciat se ignorasse prohibitionem à patre factam. Cuius probatio Mæuio

uio tanquam suæ replicationis incumbit: quia filius præsumitur suis contenta in testamento patris. Igitur ignorantia à Mænio non probata contra eum erit respondendum.

Idem argumentum tractat, *Gravetta cons. 103. in prin.*

XIII. Titius cum haberet filium Scium ex primo matrimonio nuptias iterat, & secundo coniugi mille donavit propter nuptias, & testamento facto Scium in quadringentis heredem instituit, in cæteris bonis heredem instituit tres liberos secundi matrimonij. Quæritur si mortuus sex millia aureorum in bonis reliquerit, ex quibus Scio quingenti pro sua legitima debeantur, an Scio in legitimam suam computentur quingenti, quos ex mille aureis nouerca propter donatis ex l. hac edictali C. de secundis nuptiis lucratus est?

D I S P U T A T I O.

Scius intentionem suam fundatam habet in iure, quo filio, qui minus legitima ex bonis paternis accepit, permittitur ad supplementum legitimæ agere: de quo, *M. I. R. libro quarto capit. octavo reg. 34.* Sibi autem in bonis paternis quingentos aureos

pro sua legitima deberi, & non nisi quadringētos accepisse. Restare igitur centum ex bonis paternis in legitimam supplendos. Excipitur à filiis secundi matrimonii reis conuentis quod Seius actor ultra quadringentos aureos in testamento patris ei relictos etiam quingentos ex donatione propter nuptias matri reorum à defuncto facta acceperit, & sic plus quam legitimā. Replicatur ab actore quod illos quingentos aureos non ex liberalitate patris, sed pœnæ nomine ex *l. hac edict. l. 1. C. de secundis nuptiis* sit lucratus, qui in legitimam non sint computandi. De iure huius replicationis quæritur, & probatur pro ea, quæ habentur, *M. I. R. d. cap. 8. reg. 24. exception. 21. replic. 4.* Quibus quid obiici possit non video. Itaque pro Seio actore censeo respondendum.

Idem argumentum tractat, *Grauetta cons. 194.*

XV. Sempronius filio suo spurio Seio legat in suo testamento alimenta non expressa quantitate. Queritur cum Seius ex suis operis & laboribus possit habere triginta annua, an & quantum haeres Sempronij alimentorum nomine Seio suppeditare teneatur?

DIS.

DISPUTATIO.

Seius intentionem suam fundatam habet in testamento patris. Cui obiicitur exceptio hæc, quod Seius actor ex suis operis & laboribus alimenta habere possit. Ergo legatum alimentorum esse inutile. Approbatur hæc exceptio, *M.I.R. libr. 3. cap. 11. reg. 33. except. 5. replic. 2. & lib. 4. cap. 10. reg. 55. except. 2.* Hæc exceptio eliditur replicatione hac quod in alimenta non sufficiat, quod Seius suis operis & laboribus lucratur. Quo casu quæritur quantum alimentorum nomine Seio ab hærede Sempronii sit suppeditandum? Quæ quæstio pendet ex arbitrio iudicis, quod arbitrium infirmatur, *l. cum alimenta 22. in princ. ff. de alimentis legatis.* de qua re vide item, *M.I.C. lib. 14. cap. 5. quest. 4. & M.I.R. lib. 4. cap. 10. reg. 68. cum seqq.*

Idem argumentum tractat, *Grauetta cons. 199.*

XVI. Titius cum haberet nepotes legitimos ex filiis legitimis pro parte hæredes instituit nepotes ex filio spurio legitimos & pro aliis partibus nepotes ex filiis legitimis. Quæritur si nepotes ex filiis legitimis hæreditatem ex testamen-

to aui adierint, an institutionem nepotum ex filio spurio nullam dicere possint?

D I S P U T A T I O.

Nepotes ex filiis legitimis intentionem suam fundant in iure, quo testator, qui legitimos liberos habet, nepotes ex filio spurio hæredes instituere non potest: de quo, *M. I. R. lib. 4. cap. 2. reg. 21. except. 59. dist. 1.* Cuius exceptio est, nisi liberi legitimi in institutionem nepotum ex filio spurio consenserint. Quæ exceptio approbatur. *M. I. C. lib. 25. cap. vltim.* in verbo renunciatio, de facto huius exceptionis dubitatur, an liberi legitimi in institutionem nepotum ex filio spurio consenserint? Reus huius suæ exceptionis probatio incumbit, ad probandum autem vtuntur hoc argumento quod is, qui ex testamento adit hæreditatem, videatur omnia ea, quæ in testamento scripta sunt approbata, *M. I. R. libr. 2. cap. 11. in verbo consensus.* De qua tamen re vide plura quo ad casum propositum *Gravetta conf 200.* vbi pro nepotibus ex filiis legitimis concludit.

XVII. Seius cum rem suam à Mauiq vendicaret, nec probare posset rem à reo possideri, defert reo iusiurandum, ut iuret se non possidere.

Quod

Quod iusiurandum reus recusans, illud auctori refert ut iuret quod reus possideat. Hoc auctor tanquam de facto alieno prestare non potest, nec prestare tenetur, M.I.C. lib.2. c. 21. quæst. 2. reg. 1. cept. 6. Queritur an auctore non iurante reus sit absolueudus.

D I S P U T A T I O.

Mænius reus intentionem suam fundat in iure, quo reus auctori referens iusiurandum delatum absolueudus est si auctor iurare nolit: de quo, *M.I.C. d. reg. 1. exc. 11.* Cui obstat exceptio hæc, nisi is, cui iusiurandum refertur, ignoret factum, de quo est iurandum: Quæ exceptio approbatur, *d. exc. 6.* nec qua replicatione possit elidi video. Itaque dicendum reum Mæuium nisi iurauerit esse condemnandum.

Idem argumentum tractat, *Grauetta cons. 203.*

XVIII. Titius heredem instituit Seium, eiusque fideicommissit hereditatem Mauio restitui si sine liberis decesserit. Seius decessit unico filio relicto. Queritur an Mauio ex fideicommissio actio detur?

D I S P U T A T I O.

Mæuius intentionem suam fundat in testamento Titii. Cui obicitur exceptio

hæc quod fideicommissi conditio defecerit. Ita enim Mævio fideicommissum esse relictum si Seius sine liberis decesserit. At cum relicto filio decessisse. Causa in eo consistit, an sine liberis decessisse videatur qui vni cum tantum filium reliquit? Negatiua probatur, *M. I. C. lib. 14. cap. 3. condit. 4. reg. 2. except. 9.* Itaq; contra actorem Mævium est respondendum.

Idem argumentum tractat, *Gruetta conf. 208.*

XIX, Mævio natus est filius exacto ventre uxoris, qui statim est mortuus. Queritur an hic filius matri hæres extiterit, eamque hereditatem ad Mævium patrem transmisserit?

D I S P U T A T I O.

Mævius intentionem suam fundat in iure, quo filius matri & pater filio ab intestato succedit: de quo, *M. I. R. lib. 4. cap. 6. reg. 2. in princ. & reg. 4.* Cuius exceptio prima videtur, nisi filius exacto ventre sit aditus. Sed hæc exceptio reprobatur, *l. etiam 141. ff. de verb. signif.* Altera exceptio videtur, nisi filius natus statim mortuus sit. Sed & hæc exceptio reprobatur, *l. cum uxori 4. C. quando dies legati cedat.* Tertia exceptio videtur, nisi filius ante aditam hæredita-

em

tem decesserit. Et hæc exceptio reprobatu-
l. si infanti 18. ibi. sed si hoc C. de iure deliberan-
di. Itaque in casu proposito pro Mæuio pa-
 tre est respondendum.

XX. Berta posthumum suum heredem in-
stituit, & si is sine liberis moriatur sororem su-
am Annam ei substituit in pradio N. nullo co-
hærede ei data. Posthumus natus non est. Qua-
ritur, quid iuris?

DISPUTATIO.

Anna soror intentionem suam fundat
 in iure, quo hæres ex certa re institutus
 nullo cohærede dato in solidum sit hæres:
 de quo, *M. I. R. lib. 4. cap. 5. reg. 20. except. 1.* Cui
 obiicitur exceptio duplex: vna quod con-
 ditio substitutionis defecerit: posthumus
 enim natus non est, tantum abest quod si-
 ne liberis mortuus sit: qui enim non na-
 scitur mori non potest. Sed hæc exceptio
 reprobatu ex coniecturata mente testa-
 tricis: Quæ enim mortuo posthumo ali-
 quem voluit esse hæredem videtur eun-
 dem non nato posthumo hæredem esse
 voluisse, *M. I. R. lib. 4. cap. 2. reg. 21. except. 79.*
repl. 1. exemplo 3. & cap. 10. reg. 42. exception. 11.
 Altera exceptio videtur quod dictum ius,
 in quo actrix intentionem suam fundat, in

substitutione locum non habeat, *l. cogi 16. §. 1. & l. Inde queritur ff. ad SC. Trebell. & ibi. Dd.* Itaque hac exceptione actrix repellitur.

Idem argumentum tractat, *Graves. consil. 210.*

XXI. Titius Seio vendit fundum reseruatoinere ad fundum vicinum. Postea cum vicinus ab emptore prohiberetur ire per fundum emptum, vicinus vendicat iter in iudicio, Seius emptor denunciat Titio venditori ad causam defendendam. Queritur quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Seius intentionem suam fundat in iure, quo venditor emptorem, cui de re empta mouetur controuersia, defendere tenetur: de quo, *M. I. R. lib. 5. cap. 6. reg. 40.* Cuius exceptio est, nisi emptor sciuit vicino per fundum emptum iter deberi, *dict. reg. 40. except. 1.* Quæ exceptio propositæ causæ inest: siquidem in ipsa venditione iter vicino, per fundum fuit reseruatum: nec video qua replicatione possit elidi. Itaque respondeo Titium à petitione Seii esse absolendum.

Idem argumentum tractat, *Graves. consil. 211.*

XXII. Mauius cum haberet patrimonium suum in ciuitate N. illud pro annua pensione locauit Seio. Ad illud autem patrimonium pertinet pradium N. quod Titius emphyteutico iure possidet, qui cum per triennium non soluisset canonem, nec Mauius in vita sua declarasset velle se pradium illud caducum fieri, Seius pradium tanquam commissum petit sibi restitui. Queritur quid iuris?

DISPUTATIO.

Seius intentionem suam fundatam habet in iure, quo ob non solum canonem emphyteusis committitur, & domino aperitur. de quo *M. I. R. lib. 5. cap. 7. reg. 27.* Cuius exceptio est, nisi dominus in vita sua non declarauerit se velle pradium ob non solum canonem caducum fieri, *M. I. R. d. reg. 27. except. 19.* Quæ exceptio propositæ causæ inest. Siquidem Mauius antequam voluntatem suam declarasset mortuus est: nec video qua replicatione possit elidi, Itaque pro Titio respondendum esse censeo.

Idem argumentū tractat, *Græuet. cons. 212.*

XXIII. Titius Seio donauit omnia bona sua tam presentia quam futura reseruato sibi usufructu bonorum dum vixerit. Queritur an valeat donatio?

DIS.

DISPUTATIO.

Hæres donatoris intentionem suam fundat in iure, quo istiusmodi donatio infirmatur: de quo, *M.I.R.lib. 4.cap.11.reg.10. except.11.* Cuius exceptio est, nisi donator sibi reseruauerit aliquid ex istis bonis, *d.except.11.repl.6.* Quæ exceptio propositæ causæ inest. Sed replicatur, nisi vsusfructum bonorum sibi reseruauerit, de quo testari non possit. Quæ replicatio est controuersa, *d.repl.6.dupl.2.* Idcoque videtur attendenda. Quare in hoc dubio pro donatione quod valeat videtur esse respondendum.

Idem argumentum tractat, *Grauetta cons.222. & Decius cons.251.*

XXIIII. Titius per fundum vicinum viâ ad suum fundum stipulatur à non domino, quem dominum esse putabat, eaq; via vsus est per decem annos sciente & patiente domino, qui postea adificando viam fecit deteriozem. Queritur, quid iuris?

DISPUTATIO.

Titius intentionem suam fundatam habet in iure, quo is, cui seruitus debetur, per confessoriam actionem impedire potest opus, quo vsus seruitutis sit deterior: de quo, *M.I.R.lib.3.cap.18.reg.8.* Cui à domino op-

no opponitur exceptio quod viç seruitus sit discontinua, quæ non nisi tempore immemoriali præscribi potest: de qua, *d. cap. 18. reg. 3. except. 1.* Quæ exceptio eliditur replicatione hac, nisi præscribens titulum habeat item bonam fidem, scientiam & patientiam domini: tunc enim seruitus quamvis discontinua decem annis præscribitur, *d. except. 1. repl. 3.* Quæ replicatio propositæ causæ inest, nec qua duplicatione queat elidi video. Itaq; pro Titio actor cenſeo respondendum.

Idem argumentum tractat, *Gravetta cons. 226.*

XXV. Cum Manio, eiusque sorori hereditas paterna esset communis, Manius ex ea domum Seio vendidit, posteaque hereditatem cū sorore diuisit: soror autem diuisione facta domum à Seio pro parte dimidia vendicat. Queritur quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Soror intentionem suam fundat in iure, quo alienatio rei communis ab vno sociorum facta alteri pro sua parte non præiudicat: de quo, *M. I. C. lib. 7. cap. 4. reg. 1. except. 1.* Cuius exceptio est, nisi alter socius sciens alienationem esse factam non contra-

tra-

tradixit, sed eam ratam habuit, *d. except. 1. repl. 2.* Quæ exceptio propositæ causæ inest: siquidem aëtrix sciuit domum à fratæ venditam non contradixit, sed precium ab emptore exegit. Cui exceptioni quid obstet non video. Itaque respondeo, Seium ab actione instituta esse absolendum.

Idem argumentum tractat, *Graueita cons. 237.*

XXVI. Anna dote accepta iuramento renunciauit hereditati paterna, materna & fraterna, postea mortuo patre, mater superstes iterat nuptias cum Antonio, quem heredem instituit. Queritur si Anna id, quod Antonio vitrico quam sibi relictum est, ex l. hac edictali C. de secundis nuptiis petat, an illi obstet exceptio renunciationis?

D I S P U T A T I O.

Anna intentionem suam fundatam habet in iure, quo liberi primi matrimonii lucrantur ex *dict. leg. hac edictali*, id quod parens secundo coniugi plus reliquit quàm ipsis liberis: de quo, *M. I. R. lib. 3. cap. 8. reg. 69. except. 2.* Cui obiicitur exceptio renunciationis hereditatis parentis: de qua, *M. I. R. lib. 4. cap. 6. reg. 9. except. 3. repl. 3. dupl. 2.* Sed hoc

hoc casu replicando dici potest quod non petatur hæreditas materna, cui renunciatum est, sed lucrum quod in odium defuncta lex liberis primi matrimonii defert, cui renunciatum non est. Quæ replicatio subsistit per ea, quæ habentur, *M.I.C. libr. 15. cap. 18. reg. 1.* & qua duplicatione possit elidi non video. Itaque pro actrice respondendum esse censeo.

Idem argumentum tractat, *Gruetta cons. 242. in fine vers. Tertio respondeo.*

XXVII. Retento casu precedente quaritur si Anna hæreditatem maternam à vitrico suo Antonio hærede instituto petat ab intestato tanquam à matre præterita, an reo conuento exceptio renunciationis competat?

D I S P U T A T I O.

Anna tanquam à matre præterita dicit testamentum nullum, & hæreditatē matris petit ab intestato. Cui à reo obiicitur exceptio hæc si non hæreditati maternæ actrix renunciasset. Sed renunciauit ergo, & c. d. *dupl. 2.* Actrix replicando dicit pactū alii factum alii non prodesse, *M.I.R. lib. 5. capit. tertio reg. 8.* Quæ replicatio propositæ causæ inest : Nam licet actrix patri pactum

pañtum fecerit de non succedenda, tamen illud in fauorem fratrum factum videtur ad familiæ conseruationem. Igitur illud vitrico tanquam extraneo non debet prodesse. Quæ replicatio qua duplicatione possit elidi non video. Itaque contra Antonium reum conuentam censeo respondendum.

Idem argumentum tractat, *Granetta d. conf. 242. n. 7. & Decius conf. 296.*

XXVIII. Scius duobus filiis Titio & Sempronio heredibus institutis singulis certa prædia prælegauit cum præcepto ne extra familiam ista prædia alienarent. Mortuo Scio moritur & Titius relicto Caio filio & duobus filiabus. Caius prædium patri suo prælegatum extra familiam alienauit. Moritur & Sempronius Mæuius ex filio nepote relicto. Queritur an Mæuius prædiũ à Caio alienatum reuocare possit?

D I S P U T A T I O.

Mæuius intentionem suam fundatam habet in iure, quo prædio contra prohibitionem testatoris alienato, omnibus iis, qui sunt de familia testatoris alienatum reuocare licet: de quo, *M. I. R. lib. 4. ca. 10. reg. 82.* Cuius exceptio est, nisi actor reuocans sit remotior è familia testatoris, quam alii gradu

gradu præcedant *d. reg. 82. except. 1.* Quæ exceptio propositæ causæ inest: quia Caius alienans habuit duas sorores, quæ gradu sunt propinquiores quam actor Mæuius. Sed exceptio hæc eliditur replicatione hac, quod foeminæ extantibus masculis statuto à successione excludantur. Ideoque ad reuocandum alienatum eas non esse admittendas, *d. reg. 82. except. 2.* Cui replicationi quid obstet non video. Itaque respondeo Mæuio actionem non esse denegandam.

Idem argumentum tractat, *Grauetta cons. 243. in princ.*

XXI-X. Stante statuto quo extantibus masculis filia à successione defuncti excluduntur: moritur Caius relicta filia Berta & Sempronio fratre patruele. Queritur an filia defuncti Berta per Sempronium à successione patris excludatur?

D I S P U T A T I O.

Sempronius intentionem suam fundat in statuto, quo filia extantibus masculis à successione patris excludantur: de quo *M. I. R. lib. 4. cap. 6. reg. 2. except. 4. dist. 1.* Cuius exceptio est si masculus, qui extat, à defuncto non descendat, *d. dist. 1. repl. 4.* Quæ

exceptio propositæ causæ inest: nec qua replicatione elidiquat video. Itaque contra Sempronium censeo esse respondendum: Si autem statutum excluderet sororem defuncti propter fratrem, quæritur an fratris filius sororem excludat, vel frater patruclis defuncti: de quo differit *Grauetta d. cons. 243. vers. circa secundam.*

XXX. Stante dicto statuto excludente filias extantibus masculis, moritur Berta relicto filio Seio & filia Anna, quæritur an filia per fratrem à successione Bertæ excludatur?

D I S P U T A T I O.

Scius intentionem suam fundat in dicto statuto: de quo, *M. I. R. d. dist. 1.* Cuius exceptio est, nisi non de patris, sed de matris vel alterius hæreditate agatur: hoc enim casu cessat statutum *d. dist. 1. repl. 24.* Quæ exceptio propositæ causæ inest, nec qua replicatione elidatur video. Itaq; pro filia contra Scium respondendum esse censeo.

Idem argumentum tractat, *Grauetta cons. 250. vers. similiter dicimus.*

XXXI. Cum Titius actione hypothecaria aduersus tertium possessorem ageret, iudici causa commissæ est ut sola facti veritate inspecta procederet. Quæritur an possessor exceptæ extensionis recte obijcere possit?

Dis-

D I S P U T A T I O.

Posseſſor reus excipiēdo intentionem ſuam fundat in iure, quo hypothecaria agens prius tenetur conuenire debitorem principalem, eiufq; hæredes, quam tertium poſſeſſorem: de quo, *M. I. R. lib. 5. r. 3. reg. 32.* Cui ab actore replicando obiicitur, quod illa exc. opponi non poſſit, ſi iudici ſola facti veritate inſpecta cauſa cõmiſſa eſt Quæ replicatio nulla ſpeciali lege reperitur approbata, & apud Dd. eſt cõtrouerſa. Ideoq; non admittenda, ſed pro teo eſt reſpondendum.

Idem argumentum tractat, *Grauetta conf. 263.*

XXXII. Cum inter Titium & Seim lis eſſet de prædio N. inſtantia lapſa eſt. Queritur an Princeps eam ſuo reſcripto redintegrare poſſit?

D I S P U T A T I O.

Selus reus excipiēdo intentionem ſuam fundat in iure, quo inſtantia iudicii elapſo triennio perit: de quo, *M. I. R. lib. 2. capit. 1. quaſt. 10. reg. 1.* Cui ab actore opponitur replicatio hæc, niſi princeps ſuo reſcripto inſtantiam redintegrauerit *d. reg. 1. except. 5.* Quæ replicatio præſumitur, cū pro reſcripto principis ſit præſumptio quod valeat,

nec qua duplicatione elidi queat video. Itaque pro Titio actore censeo respondendum.

Idem argumentum tractat, *Grauet. consil. 266.*

XXXIII. Cum inter Mauium & Sempronium lis de finibus pradiorum esset, sententia post peremptam instantiam à iudice lata est. Queritur an valeat.

D I S P U T A T I O.

In dubio pro sententia præsumitur quod valeat, donec exceptio aliqua contra eam probetur, *M. I. R. lib. 2. cap. 11. in verbo sententia. & cap. 18. reg. 5. in prin.* Inter exceptiones autem eius numeratur & hæc, nisi post peremptam instantiam sententia lata sit *d. reg. 5. except. 65.* Vbi etiam distinguitur. Quarum tamen distinctionum nulla propolita causæ inest. Ideoq; dicendum sententiam esse nullam.

Idem argumentum tractat, *Grauetta consil. 270. n. 7.*

XXXIII. Titius in iudicio conuentus a Etori Scio per Mauium fideiussorem cauit iudicatum solui & postea aufugit antequam Sententia feratur. Scius aduersus Mauium fideiussorem

forem agat de causa defendenda. Queritur quid iuris?

DISPUTATIO.

Mæuius reus excipiendo intentionem suam fundat in eo, quod iudicatum solui fideiusserit. Nihil autem iudicatum esse nego se non teneri. Quæ exceptio ipso iure non subsistit: cum iudicatum solui stipulatio tria in effectu non contineat, scilicet de iudicato soluendo, de re defendenda, & de dolo malo non committendo *M. I. R. lib. 2. cap. 7. reg. 49. in pri.* Itaque nisi Mæuius causam Titii absentis defendat, contra eum erit respondendum.

Idem argumentum tractat, *Crauetta cons. 292.*

XXXV. Seius in iudicio conuentus per Caium procuratorem causam suam defendit, & cum contra reum pronuntiatum esset, Caius appellat: quam appellationem reus elapso decennio ad appellandum constitutus ratam habet. Queritur quid iuris?

DISPUTATIO.

Appellatus actor contra appellationem excipiendo intentionem suam fundat in iure quo Seius reus appellationem ab alio interpositam post decennium ad appel-

landum constitutum ratificauit: de quo, *M. I. R. lib. 2. cap. 3. de procuratoribus reg. 4. except. 1. repl. 7. dupl. 2. & cap. 18. reg. 5. except. 73. replis: 2. dupl. 3. tripl. 1.* Quæ exceptio eliditur replicatione hac, nisi is, qui grauati nomine intra terminum appellauit, grauati procurator fuerit: Nam ius, quo nititur exceptio loquitur de alio, qui sine mandato egit & appellauit. Secus autem est in procuratore, ad cuius officium pertinet in causa appellare *d. cap. 3. in fine.* Quæ replicatio propositæ causæ inest, nec qua duplicatione elidi queat video. Ideoq; pro Scio in causa proposita censéo respondendum.

Idem argumentum tractat, *Grauetta cens. 273.*

XXXVI. Cum Titius domum suam Scio vendidisset, ac in tradendo moram fecisset, Scius actionem empti aduersus eum instituit, qua litigante Titius domum istam pro filia in dotem dedit. Queritur an valeat alienatio?

D I S P U T A T I O .

Scius alienationem impugnans intentionem suam fundat in iure quo res litigiosa prohibetur alienari: de quo *M. I. R. lib. 2. cap. 4. reg. 4.* Cui Titius duas opponit
 ecce-

exceptiones, quarum vna est quod per actionem personalem, qualis est emptio, res non fiat litigiosa. Quæ tamen exceptio est controuersa *M.I.R. dict. reg. 4. exception. 5.* nec leges, quæ ad eam probandam allegantur, satis eam probant. Ideoque non videtur admittenda. Quanquam *Grauetta cons. 279.* eam approbandam censet. Altera exceptio, quæ pro Titio allegatur, est quod ius, quo nititur Seii intentio, locum non habeat si res dotis nomine alienetur. Quæ approbatur *M.I.R. dict. reg. 4. exception. 10.* & propositæ causæ inest, nec qua replicatione elidi possit animaduerto. Itaque pro Titio reo censeo esse respondendum.

XXXVII. Titius in facie Ecclesie contraxit matrimonium cum Berta, quæ antea clandestinum matrimonium cum Seio contraxerat, ex quo etiam prolem susceperat. Queritur an Titius ad infirmandum matrimonium agere possit?

D I S P U T A T I O.

Titius intentionem suam fundatam habet in iure, quo matrimonium nõ subsistit cum ea, quæ antea alii nupta est: de quo, *M.I.R. lib. 3. capite octauo reg. 21. except. 7.*

Cuius exceptio est, nisi prius matrimonium fuerit clandestinum, posterius in facie Ecclesiæ contractum tunc enim posterius matrimonium valet, *d. except. 7. repl. 3.* Quæ exceptio propositæ causæ inest. Sed replicatione videtur elidi hac, nisi prius matrimonium ytriusque confessione censet: tunc enim prius quamuis clandestinum sustinetur, *M. I. R. d. reg. 21. except. 25. repli. 1.* Ideo quam pro Titio videtur est respondendum.

Idem argumentum tractat, *Gruetta consil. 281. & consil. 482.* vbi videtur sibi ipsi contrarius.

XXXVIII. Sempronius heredem instituit Seium, eique si sine liberis decesserit substituit Mauium. Mortuo Sempronio hereditatem adit Seius, qui postea etiam moritur relicto filio Caio monacho Franciscano. Queritur an Mauius ex substitutione ad hereditatem Sempronii sit admittendus.

D I S P U T A T I O.

Mæuius intensionem suam fundat in iure, quo instituto hærede defuncto admittitur substitutus: de quo, *M. I. R. lib. 4. ca. 2. reg. 21. exception. 78.* Cui obstat exceptio hæc, nisi conditio substitutionis defecerit,

d. reg.

d. reg. 21. except. 79. Quæ propositæ causæ inest. Siquidem non videtur sine liberis decessisse qui vnicum filium relinquit, vð supra *resp. 18.* offensum. Sed obstat exceptioni huic replicatio, nisi filius relictus monachus sit factus. Quæ replicatio approbatur *M. I. R. lib. 4. cap. 10. reg. 50. except. 7.* & propositæ causæ inest, nec qua duplicatione elidi queat video. Itaque respondeo Mæuium ex fideicommissaria substitutione ad hæreditatem Sempronii esse admittendum.

Idem argumentum tractat *Grauetta cons. 283.*

XXXIX. Mæuius cum haberet Caium filium ex primo matrimonio nuptias iterat, & fundum dotalem à priore coniuge acceptum Titio vendidit. Queritur utrum Caius fundum venditum statim à Titio emptore vindicare possit, an non nisi mortuo patre Mæuius?

D I S P U T A T I O.

Caius intentionem suam fundat in iure, quo dominium rerum, quas superstes coniunx nuptias iterans à defuncto coniuge adquisiuit, ad liberos iuris matrimonii pertinet: de quo, *M. I. R. lib. 3. cap. 8. reg. 64.* Cuius exceptio est quoad vsumfructum,

qui superstiti in istis rebus dum viuit debetur *d. reg. 64.* Ergo illi res interim auferendæ non sunt, replicando actor distinguit hoc modo, nisi res alienauerit, hoc enim casu mors superstitis expectanda non videtur. Quæ tamen replicatio nulla speciali lege approbatur, ususfructus amittitur quamuis res vendatur *l. arboribus 17. §. usufructuaris, & l. Cui ususfructus 63. ff. de usufructu.* Sed & replicatio ista expresse reprobat *l. generaliter s. in princip. ibi: itaque defuncto eo Cod. de secundis nuptiis.* Itaque contra Caium actorem est respondendum.

Idem argumentum tractat, *Grauetta cons. 285.*

XL. Cum Titius duos filios & duas filias haberet, unam ex filiabus Bertam elocauit & dotauit, qua patre pro heredibus stipulante hereditati paterna & materna mediante iuramento renunciauit, donec vnus masculus superesset. Mortuo Titio quaritur utrum renunciantis portio solis fratribus, an etiam sorori, qua non renunciauit, ad crescat?

D I S P U T A T I O.

Soror, quæ non renunciauit, intentionem suam fundatam habet in iure, quo portio

portio deficiens omnibus hæredibus patris & matris æqualiter adcrefcit: de quo, *M.I.R. lib. 4. cap. 5. reg. 28.* Cuius exceptio videtur, nisi filia ratione certæ personæ hæreditati renunciauit: tunc enim ei personæ soli, non etiam aliis videtur adcrefcere, *d. reg. 28. except. 2.* Quæ exceptio propositæ causæ inest: quia Berta ratione masculorum tantum hæreditati renunciauit. Verum exceptio hæc non caret controuersia, ut patet ex *Gruetta cons. 288. cum seq.* Ideoque magis reprobanda quam approbāda videtur, & secundum petitionem sororis respondendum.

X L I. Titius testamento factō Caiū filium suum heredem instituit eique filias suas sorores Caij substituit, & præcepit filios Caij dotari & eis dari pro dotibus, quantum suis filiabus reliquerit. Moritur Caius Lucia filia relicta. Quaeritur si Caius maiorem dotem filia sua dedit, quam à patre suo iussus est, an illud plus in præiudicium fideicommissi augeri potuit?

DISPUTATIO.

Lucia Caii filia intentionem suam fundat in iure quo hæres fideicommissio grauatæ dotis nomine ex fideicommissio pos-

so possit alienare: de quo, *M.I.R. lib. 4. cap. 9. reg. 8. except. 1.* Cui videtur obstare exceptio hæc, nisi plus dotis nomine alienauit quã à testatore iussus est. Quæ exceptio videtur subsistere per ea, quæ habentur, *M.I.R. lib. 4. cap. 4. except. 5.* Sed *Grauetta conf. 291.* contrarium respondet ex coniecturata mente testatoris, de qua tamen non satis constat.

XLII. Ciues particulares ciuitatis N. vsi sunt pascuis in prædiis pagi N. ultra hominum memoriam nemine contradicente. Queritur an per hoc ciuitati N. ius pascendi in dictis prædiis sit acquisitum?

D I S P U T A T I O.

Ciuitas N. suam intentionem fundat in iure, quo ius pascendi tempore immemoriali præscribitur: de quo, *M.I.R. lib. 3. ca. 18. reg. 3. except. 1. repl. 5.* Vsum autem pascendi, quem ciues exercuerunt, ipsa ciuitas habuisse censetur: Quia possessio vniuersitati per singulos homines vniuersitatis acquiritur & retinetur, *M.I.R. lib. 3. cap. 10. reg. 63.* Cuius exceptio videtur, nisi regentes vniuersitatem non mandauerint vel ratum habuerint quod à ciuibus gestum est *Grauetta conf. 292. num. 1. vers.* Et quod ex possessione verum exceptio hæc ab aliis repro-
batur

batur existimantibus scientiam & patientiam regentium pro mandato vel rati habitatione esse. Quod veresimilius est *K. cent. 8. com. opin. in fine.* Itaque pro Ciuitate N. videtur respondendum.

XLIII. Titius in testamento suo instituit hæredes duos filios, & præterit filiam Bertam. Queritur si testamento adiecta sit clausula codicillaris, an Bertæ quamuis testamentum ob præteritionem eius nullum sit, teneatur heredibus scriptis suam portionem hereditariam restituere? Respondeo quod sic M. I. R. libr. 4. capit. 3. repl. 1. 1. dapl. 2. Salua tamen sua legitima, in qua grauari non potuit, M. I. R. lib. 4. cap. 8. reg. 24. except. 21. repl. 5. in fine Trebellianicam autem non detrahit si legitimam retinet, M. I. R. lib. 4. cap. 10. reg. 1. except. 4. Accedit Grauetta conf. 295. n. 2

XLIII. Mauius Seio legauit omnes domos suas ubicunque sitas in ciuitate N. Queritur an domus, quam extra illam ciuitatem in suburbio habet testator, legato contineatur?

DISPUTATIO.

Hæres testatoris intentionem suam fundatam habet in iure, quo rebus, quæ in ciuitate sunt legatis, et quæ extra murum in suburbio sunt, legatario non debentur,
M. I. C.

M.I.C.lib.13.cap.4 De iis quæ ibi sunt legatis *reg.4.* & *M.I.R.lib.4.c.9.reg.68.* Cuius exceptio est, nisi alia fuerit voluntas testatoris *M.I.R.d.cap.9.reg.117.* De facto huius exceptionis dubitatur utrum testator domum in suburbio sitam legato contineri voluerit, nec ne? Cuius probatio Scio legatario incumbit. Probat autem hoc argumento quod testator domos ubicunque sitas in ciuitate N. legatas voluerit. Quæ verba ubicunque sitas superflua essent, si domus rãtum intra muros ciuitatis N. legatas voluisset. Itaque dicendum hoc vnico argumento voluntatem testatoris satis esse probatam, vt pro Scio sit respondendum.

Idem argumentum tractat *Gravetta cons.297.*

XLV. *Franciscus prædia sua, quæ uxori suæ Magdalena pro dote obligata erant, vendidit Sempronto, qui eadem postea rursus vendidit Mauio. Mortuo Franciscocum non esset soluendo, uxor eius Magdalena prædia ista actione hypothecaria petit à Mauio, qui ea actrici restituit, & aduersus Sempronium de euictione empti iudicio egit & obtinuit. Sempronius autem Magdalena dotem offert, ac prædia sibi restitui petit. Queritur, quid iuris?*

D I S P U T A T I O.

Sempronius intentionem suam fundat in iure, quod debito soluto liberatur pignus, & pignoratitia actio directa soluenti competit. de quo, *M. I. R. lib. 5. cap. 5. reg. 42.* Cuius exceptio est, nisi alius quam debitor, vel creditor hypothecarius debitum offerat invito creditori: huic enim actio ista danda non est, *M. I. C. lib. 17. cap. 20. quest. 2. reg. 1. except. 3.* Quæ exceptio propositæ cautæ inest, nec qua replicatione elidiqueat video. Itaque contra Sempronium auctorem censeo respondendum.

Idem argumentum tractat, *Grauetta cons. 298.*

XLVI. Titius domum suam Caio vendidit, & constituit se domum venditam nomine Caii possidere: conuenitque ut Caius prædium Titij pignori Seio obligatum redimeret. Postea Caius prædio non redempto domum emptam pro sorore sua Berta in dotem dedit. Berta contra Titium agit possessorio iudicio ad possessionem domus sibi restituendam. Queritur quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Berta intentionem suam fundat in iure, quæ possessio venit restituenda ei, cui

cui à possessore cessa est: *M. I. R. libr. 5. cap. 1. reg. 19. except. 1.* Cui à Titio reo opponitur exceptio causæ venditionis non secuta. Quæ exceptio approbatur, *M. I. E. lib. 18. cap. 3. except. 48.* Et causæ propositæ inest: cum Caius emptor prædium Titii (vt conuenerat) non redemerit. Huic ab actrice obiicitur replicatio hæc, quod exceptio ista ad petitorium iudicium pertineat. Ideoq; in possessorio non possit obiici. Cui obstat duplicatio hæc, nisi causa petitorii iudicii in possessorio etiam sit deducta, & satis probata: tunc enim iudex etiam in petitorio iudicio pronunciare potest, *M. I. R. lib. 2. cap. 18. reg. 5. except. 18. repl. 3.* Quæ duplicatio propositæ causæ inest, nec qua triplicatione possit elidi video itaque pro Titio reo censeo respondendum.

Idem argumentum tractat, *Græueta consil. 299.*

XLVII. Mauius filium suum impuberem heredem instituit eique Seium pupillariter substituit si filius sine liberis decesserit filius pubes factus sine liberis decessit. Queritur an Seius ex substitutione illi succedat?

D I S P U T A T I O.

Seius intentionem suam fundat in substitutione-

stitutione facta impuberi filio. Cui obstare videtur exceptio hæc, nisi filius post pubertatem decesserit: hoc enim casu pupillaris substitutio expirauit, *M.I.R. lib. 4. cap. 2. reg. 21. except. 101.* Cuius replicatio est, nisi alia fuerit mens testatoris. De quo lis est in casu proposito an fuerit mens testatoris ut etiam post pubertatem mortuo filio substitutioni locus esset. Scio actori incumbit huius suæ replicationis probatio. Argumentum autem, quo hoc probat, tale est quia testator conditionem hanc, si sine liberis decesserit adiecit, de liberis cogitasse præsumitur. At impubes liberos habere non potest: cum matrimonium contrahere non possit, *M.I.R. lib. 3. cap. 8. reg. 21. except. 9.* Sequitur ergo quod etiam post pubertatem testator substitutionem valere voluerit. Quo casu vim fideicommissi habet *d. exceptio. 101. repl. 2.* Itaque pro Scio erit respondendum:

Idem argumentum tractat, *Grauetta cons. 305.*

XLVIII. Berta marito centum legauit pro exequiis sibi faciendis, & casu quo dictus maritus intra sex menses post mortem testatrix exequias facere nollet legatum reuocauit illud re-

linquendo Mauius. Maritus ante testatricem decessit. Mortua postea testatrice queritur usru censum legato penes heredem remanere debent, an Mauius solui?

D I S P U T A T I O.

Hæres intentionem suam fundatâ habet iniure, quo deficiente conditione legatum substituto non debetur: de quo, *M. I. R. lib. 4. cap. 2. reg. 21. except. 79.* Hoc autem casu defecit conditio cum non possit dici maritum noluisse facere exequias, cum fuerit mortuus, & ob id non potuerit. Cui obstat exceptio hæc, quod casus voluntatis ex verisimili coniectura voluntatis defunctæ trahatur ad casum impotentiae *d. exception. 79. repl. 2.* Quæ exceptio propolitaë causæ inest, nec qua replicatione elidi possit video. Ideoque pro Mauius respondendum censeo.

Idem argumentum tractat, *Grauet. consil. 311.*

XLIX. Antonius presbyter cum peregrinaretur cum sua priuigna tempore autumnali frigido vesperi cum ea diuertit in hospitium pagi, acuitq; cum ea in eodem conclauis, cumque priuigna in tanto frigore stragulum lecti non sufficeret, ea cum stragulo suo iubente vitrico transit

transit in lectū vitrici, & sic ambo cubant ea nocte in eodem lecto. Quæritur an hoc sit sufficiens iudicium ad torturam intestus?

D I S P U T A T I O .

Concubitus maris & fœminæ vehementem facit præsumptionem coitus: Quæ tamen præsumptio hoc casu aliis argumentis enervatur, scilicet ob frigus im-
mensum, ob defectum straguli & ob honestatem presbyteri, quæ omnia exactis constabant: Ex quibus contraria præsumptio infertur quod concubitus magis ad depellendum frigus, quam ad coeundum interuenerit. Itaque censeo istum concubitum ad torturam non sufficere. Et ita in causa ista fuit iudicatum.

Idem argumentum tractat, *Gruetta cons. 321.*

L. Berta testamento factō liberos suos primi & secundi matrimonij aequaliter heredes instituit. Ea mortua liberi secundi matrimonij hereditatem defuncta ex testamento adeunt, primi autem matrimonij liberi repudiato testamento ab intestato hereditatem adeunt ratione consuetudinis, quæ liberis primi matrimonij bona immobilia, quæ mater in eo matrimonio habuit, in solidum desert. Quia verò

nemo pro parte testatus, & pro parte intestatus decedere potest, M. I. R. lib. 4. cap. 6. reg. 1. exception. 2. replic. 3. Ideo necesse est alteram actionem esse inanem. Queritur quid sit iuris?

D I S P U T A T I O.

Libri secundi matrimonii præsumptionem iuris pro se habent: quia in dubio præsumitur pro testamento quod valeat, & ob id successioni ab intestato locus non sit, *M. I. R. d. except. 2. in prin.* Huic præsumptioni liberi prioris matrimonii duas obiciunt exceptiones quarum prima est, nisi nepotes ex filio in testamento præteriti essent. At sunt præteriti. Ergo testamentum nullum est. Hæc exceptio eliditur replicatione hac, nisi clausula codicillaris in testamento esset adiecta. Quæ approbatur, *M. I. R. li. 4. c. 3. rep. 11. dup. 2.* Et propositæ causæ inest: nec qua duplicatione elidi possit video, nisi quod in vim fideicommissi testamentum resoluatur. Altera exceptio contra testamentum videtur, quod cum consuetudo liberis primi matrimonii bona immobilia eius matrimonii deferat, mater contra istam consuetudinem testari non poterit. Ius huius exceptionis in dubium vocatur an consuetudo ista parentibus liberam

beram testandi facultatem de bonis istis auferat? Negatiua præsumitur, cum etiam quorundam locorum consuetudo masculis hæreditatem deferat foeminis exclusis: non tamen parentes prohibentur contra istam consuetudinem testari: Et cum testator etiam hæredis bona alteri legare possit, *M. I. R. lib. 4. cap. 9. reg. 14. except. 21. dist. 6.* multo magis de suis propriis bonis poterit testari. Itaque dicta consuetudo videtur intelligenda si non in contrarium parentes disposuerint. Nec igitur altera liberorum primi matrimonii exceptio contra testamentum subsistit: utcumq; ea in quibusdam locis obseruatur. Dicendum itaq; aditionem hæreditatis ab intestato inanem esse, Idco portiones liberorum primi matrimonii in testamento illis relictas liberis secundi matrimonii ad crescere, *M. I. R. lib. 4. cap. 5. reg. 27.*

Idem argumentum tractat, *Grauetta conf. 324.*

L. I. Retento casu proximo præcedente quaeritur si liberi primi matrimonij ex interuallo non incontinenti protestati sunt, se matris testamentũ nõ oppugnaturus si legitimũ apparuerit, an si postea testamentum legitimum fuerit pronun-

*nunciatum, portiones suas in testamento reli-
ctas petere possint?*

D I S P U T A T I O.

• Liberi secundi matrimonii intentionem fundatam habent in iure, quo is qui testamentum oppugnauit, nihil ex eo testamento petere potest: de quo, *M. I. R. lib. 4. cap. 9. reg. 14. exc. 50.* Cuius exceptio est, nisi is, qui testamentum oppugnat, protestatus sit se illud non oppugnaturum, si legitimum apparuerit, *M. I. R. lib. 5. cap. 11. reg. 20.* Quæ exceptio propositæ causæ inest. Sed eliditur replicatione hac nisi ex interuallo, nō in cōtinenti sit protestatus. *d. reg. 20. excep. 1.* Quæ & ipsa replicatio propositæ causæ inest, nec qua duplicatione possit elidi video. Itaque respondeo liberis primi matrimonii ex testamento quod oppugnarunt actionem non competere.

Idem argumentum tractat, *Grauetta conf. 375. cum seq.*

LII. Seius haredes instituit Alexandrum & Benedictum filios suos, eosque inuicem substituit, si alter sine filiis masculis legitimis, vel legitimis deficientibus sine naturalibus decederet. Quod si naturales tantum superessent nulli legitimi, tunc hos patri succedere voluit, vel unum alteri:

alteri: filias autem iussit dotari. Posthac mortuo testatore decessit Benedictus relicto Iacobo filio legitimo: qui tandem etiam decessit relicto Mæuio filio naturali, & Alexandro paruo suo. Queritur utrum Mæuius filius naturalis, an Alexander Iacobo ex fratre nepoti censcatur substitutus?

D I S P U T A T I O.

Mæuius filius naturalis intentionem suã fundat in verbis substitutionis, quib. naturales vocentur legitimis deficientibus. Iacobum autem decessisse nullis filiis legitimis relicto, sed Mæuio naturali tantum. Excipit Alexander, nisi alia fuerit mens testatoris. At testatorem conditionem hanc si nulli legitimi superessent, de testatoris, non de liberorum legitimis liberis intellexisse. Quod in controuersiam venit, quid hoc casu testator senserit. Cuius probatio Alexandro tanquam suæ exceptionis incumbit, quo non probante pro Mæuio erit respondendum.

Idem argumentum tractat, *Grauetta consil. 326.* Vbi argumenta adducit ad dictam voluntatem testatoris probandam. Quæ utrum sufficiant arbitrio iudicis est relinquendum, *M. I. R. lib. 2. cap. 11. in fine.*

*LIII. Mauius à Titio centum mutuo sum-
psit, conuenitque si mutuum à Mauiio inter tres
menses non solueretur, quod tunc Mauius do-
mum suam Titio pro centum in solutum daret.
Quæritur an pactum valeat?*

DISPUTATIO.

Titius præsumptionem iuris pro se ha-
bet quod pactum valeat, nisi aliqua lege sit
prohibitum, *M. I. R. lib. 5. cap. 3. reg. 5. in princ.*
nulla speciali lege reperitur prohibitum.
Sed si domus pro centum pignori sit obli-
gata, & conuenerit si centum intra tres
menses non soluerentur, quod tunc do-
mus pro centum sit vendita, hoc pactum
prohibetur, *M. I. R. lib. 5. cap. 5. reg. 42. except. 3.*
datio autem in solutum venditioni æqui-
paratur, *l. eleganter 24. in prin. ff. de pignor. a-
ctio. l. si quis alium 46. ff. de solutionib.* In hu-
ius iuris fraudem pactum, de quo quæri-
tur, facile fingi potest, cessante autem frau-
de respondeo pactum illud valere.

Idem argumentum tractat, *Gruetta
cons. 327.*

*LIIII. Titius filios suos Caium & Mauium
heredes instituit, iisque decedentibus filios
substituit. Quæritur mortuo Caio superstiti Ma-
uio an*

uius an filiae importationem Caij defuncti ex substitutione vocentur?

DISPUTATIO.

Mæuius superstes intentionem suam fundatam habet in iure, quo duobus hæredibus institutis quibus aliquis substitutus est, instituti inuicem substituti videntur, vt alter substitutus, nisi vtroque defuncto, non admittatur: de quo, *M.I.C.lib. 9. cap. 12. except. 135. & M.I.R.lib. 4. cap. 2. reg. 21. except. 85. & ca. 10. reg. 40. except. 5.* Quamuis autem hoc à Dd. in controuersiam deducatur, tamen constat *l. cum quidam 10. C. de impub. substitut.* Itaq; non obstante Dd. controuersia, pro Mæuio contra filias est respondendum.

Idem argumentum sed in contrarium tractat *Grauetta cons 328.* vbi asserit mutuam substitutionem hoc casu esse probandam: quia ex verbis non apparet. At probat eam *d. l. cum quidam.*

LV. Potens prædium emphyteuticum vendidit sub hac conditione si illud intra quadriennium non redemerit. Non multo post prædium redemit. Queritur an domino ex eo contractu debeat laudemium?

T 5

DIS-

DISPUTATIO.

Dominus intentionem suam fundatā habet in iure, quo prædio emphyteutico vendito domino debetur laudemium: de quo *M. I. R. lib. 5. cap. 7. reg. 10.* Cuius exceptio est nisi contractus sit nullus, *d. reg. 10. excep. 5.* Quæ exceptio propositæ causæ inest: Si quidem venditio facta est sub conditione, quæ postea defecit. Quæ replicatione exceptio hæc elidi possit non video. Itaque respondeo laudemium domino non deberi.

Idem argumentum tractat, *Grauetta conf. 332.*

LV I. Seius & Sempronius fratres hereditatem paternam diuiserunt, conuenitque inter eos si alteri eorum portio sua à tertio cuiuscatur, ut alter euictionem præstaret, aut diuisio ex integro fieret. Postea Sempronio de sua portione lis à Mauio mota est, in quam litem multos fecit sumptus, tandem illi portio ex magna parte est euicta. Queritur utrum Seii an Sempronii electio sit de damno præstando, aut de diuisione iteranda?

DISPUTATIO.

Seius intentionem fundatam habet in iure, quo in contractibus debitoris, non credi-

creditoris electio est: de quo, *M.I.R. lib. 5. c. 4. reg. 9.* Cui obstat exceptio hæc, nisi non rerum, sed remediorum electio sit: hæc enim creditoris est *d. reg. 9. except. 8.* Quæ exceptio propositæ causæ inest, nec qua replicatione possit elidi animaduerto. Itaque respondeo Sempronio tanquam creditori electionem esse permittendam, utro remedio velit utri,

Idem argumentum tractat, *Grauetta cons. 334.*

LVII. Titius testamento facto posthumos hæredes instituit, eosque inuicem substituit. Si autem uxor filiam unam aut alteram pareret, eo casu non aliter Luciam filiam ex asse hæredem instituit. Posthumus natus est qui paulo post decesserit hereditate non adita. Queritur an Lucia institutio valeat?

D I S P U T A T I O.

Hæres Titii ab intestato intentionem fundatam habet in iure, quo conditione institutionis vel substitutionis deficiente ipsa quoque institutio vel substitutio deficit: de quo, *M.I.R. libro quarto cap. 2. reg. 21. exception. 79. & cap. 10. reg. 42.* Sed in casu proposito Lucia hæres instituta est si non posthumus, sed filia nascatur: quorum

neu-

neutrum factum est : nam & posthumus natus est & filia nata non est. Ergo, &c. Cui obiicitur exceptio hæc, nisi alia fuerit mēs testatoris. Sed aliam fuisse mentem testatoris, quod etiam nato posthumo, qui statim decessit, & non nata filia Luciam nihilominus voluerit esse hæredem, à Lucia probandum est, qua probatione cessante contra eam est respondendum.

Idem argumentum tractat, *Gravetta conf. 344.*

L V I I I. Maius testamentum fecit in quo Seium heredem instituit, & adiecit si testamentum non valet in scriptis, valeat tamen ut nuncupatiuum. Quæritur si testamentum hoc neque subscriptum, neque signatum sit à testibus, an ut nuncupatiuum sustineri possit? Respondeo posse, si modo ea interuenerint quæ ad testamentum nuncupatiuum requiruntur, M. I. R. libr. 2. cap. 4. reg. 21. except. 49. repl. 2.

Idem argumentum tractat, *Gravetta conf. 347.*

L I X. Titius Seio donauit tertiam bonorū suorum partem, ut Annam neptem Titij ex filio in uxorem duceret. Qua ducta Titius postea liberos

beros nactus est, ob quos donationem reuocat. Queritur quid iuris?

DISPUTATIO.

Titius intentionem suam fundat in iure, quo donator ob superuenientiam liberorum donationem potest reuocare: de quo, *M.I.R.lib.4.c.11.reg.10.except.23*. Cuius exceptio est, nisi ob causam facta sit donatio, *d.except.23.repl.8*. Quæ exceptio propositæ causæ inest: Cum Seius neptem donatoris in uxorem ducturus non fuisset, nisi facta donatione: nec qua replicatione exceptio ista elidi possit video. Itaque contra Titium censeo respondendum.

Idem argumentum tractat, *Grauetta conf.351.num.9*.

LX. Mauius cum haberet liberos uxori suæ ad vitam ipsius legauit viridarium unum atque alterum, modulumque terra: Queritur an uxori non nisi alimenta ex bonis legatis debeantur?

DISPUTATIO.

Liberi testatoris intentionem suam fundant in iure, quo usufructu omnium bonorum uxori relicto liberis existentibus, non nisi alimenta uxori debentur: de quo, *M.I.R.lib.3.cap.17.reg.23.except.2*. Cuius

ius exceptio est, nisi non omnium bonorum, sed certarum rerum ususfructus uxori sit relictus: hoc enim casu plenum ususfructum habet *d. except. 2. repl. 5.* Quæ exceptio propositæ causæ inest, nec qua replicatione elidi queat video. Itaque contra liberos respondendum esse censeo.

Idem argumentum tractat, *Grauetta cons. 352.*

LXI. In pascuis communibus pro diuiso tamen unus sociorum Mæuius suam partem meliorem fecit ad prati usum; sed damnum herbis quotidie datur à pecore sociorum depascente. Queritur quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Mæuius intentionem suam fundatam habet in iure, quo damnum à quadrupede datum dominus quadrupedis præstare tenetur. de quo, *M. I. R. lib. 5. cap. 10. reg. 57.* Cuius exceptio est, nisi actor damnum euitare potuit, *M. I. C. libr. 22. cap. 9. quest. 4. exception 25.* Quæ exceptio propositæ causæ inest: Siquidem actor pratum contra ingressum pecoris muniendo damnum potuit euitare. Qua autem replicatione exceptio hæc elidi queat non video. Itaque
contra

Contra Mæuium actorem censeo respondendum.

Idem argumentum tractat, *Grauetta cons. 353.*

LXII. Titius nepoti suo cum matrimonium iniret, bona, iuraque sua omnia paterna & materna duntaxat ubicunque sint, & quocunque nomine censeantur donauit, usufructu eorum & florenis aliquot sibi reseruat. Queritur utrum Titius omnia sua bona donauerit, an paterna maternaque tantum?

D I S P U T A T I O.

Non iuris, sed facti quæstio est quid senserit donator. Ideoque ad arbitrium iudicis potius quam ad Iurisconsultum pertinet, *M. I. R. lib. 2. cap. 11. in fine.* Etsi autem is, qui omne dicit nihil videtur excludere *libro 2. Dialectica mea cap. A genere reg. 1.* tamen si generi certæ species & qualitates sint subiectæ, illud per eas restringitur *dict. reg. 1. exception. 5. cum seq.* Sic in casu proposito bona, iuraque omnia videntur restringi ad bona tantum paterna, maternaque, idque eo magis cum particula duntaxat sit adiecta. Accedit quod in dubio id, quod minimum est sequendum sit *l. semper in stipulat. ff. de reg. iuris.* Itaq; paterna tan-

tantum, maternaq; non omnia Titii bona videntur donata.

Idem argumentum sed in contrarium tractat *Grauetta cons. 354.*

LXIII. Mauius Titium in re certa heredem instituit his verbis adiectis ne quid amplius peteret. Queritur si cohæredes instituti ante aditam hæreditatem decesserint, an Titius in solidum fiat hæres?

D I S P U T A T I O.

Titius intentionem suam fundatam habet in iure, quo cohæredibus deficientibus superstiti hæreditas ad crescit: de quo, *M. I. R. lib. 4. cap. 5. reg. 27.* Cuius exceptio videtur, nisi superstes ex re certa sit hæres institutus cum adiectione ne quid amplius peteret. Quæ exceptio est controuersa *M. I. R. d. cap. 5. reg. 28. except. 1.* Ideoque non admittenda. Accedit *Grauetta consil. 360. numer. 4.*

LXIIII. Lucia acceptis mille aureis hæreditati paterna, materna & fraterna in gratiam Andrea fratris renunciauit, hac tamen conditione si fratrem sine liberis mori contigeret, ne renunciatio ista sibi præiudicet. Postea nupsit Seio & renunciatio ista confirmatur omiſſa tamen dicta reſeruatione. Moritur tandem frater Andreas

abreas nullis liberis relictis. Queritur si Lucia petat hereditatem paternam, maternam & fraternam; an illi dicta renunciatio obstat?

DISPUTATIO.

Hæres defuncti reus conuentus excipiendo intentionem suam fundat in iure, quo ea, quæ hæreditati renunciauit, eam petens exceptione repellitur: de quo, *M. I. R. lib. 4. cap. 6. reg. 9. except. 3. repl. 3. dupl. 2.* Excipit actrix quod non aliter renunciauerit quam si frater liberis relictis decesserit reseruato sibi iure succedendi, si nullis liberis relictis decesserit. Replicat reus quod illa reseruatio in posteriori pacto seu renunciatione non sit facta. De iure huius replicationis lis est scilicet si duplex renunciatio facta sit, prior cum reseruatione, posterior sine reseruatione, an posterior priori quo ad reseruationem deroget? Præsumptio pro affirmatiua videtur: cum per pactum posterius tollatur prius *M. I. R. lib. 5. c. 3. reg. 5. exc. 40.* Sed huius exc. est, nisi posterius non sit cōtrarium priori nec in posteriori expressum sit quod nouandi prioris animo fiat, *M. I. C. lib. 5. c. 12. reg. 10. exc. 1.*
Quæ exceptio proposita causa inest, nec
 V qua

qua replicatione elidatur video. Itaq; pro Lucia actrice censeo respondendum.

Idem argumentum tractat, *Gravetta cons.* 374.

LXV. Cum Titius rogatus esset bona in testamento Caji sibi relicta post mortem suam filio Mauio restituere, bona ista pater Titius cum filio Mauio vendit Sempronio. Queritur an mortuo Titio Mauius bona ista ratione fideicommissi à Sempronio repetere possit?

D I S P U T A T I O.

Mauius intensionem suam fundat in iure, quo fideicommissario in rem actio aduersus possessorem ad fideicommissum persequendum datur: de quo, *M. I. R. lib. 4. cap. 9. reg. 130.* Cui obstat exceptio hæc, nisi actor cum patre suo bona ista reo vendidisset. Quæ exceptio approbatur *M. I. R. lib. 3. cap. 13. reg. 24. exception. 1. replic. 1.* Et causæ propositæ inest. Sed eliditur replicatione hac, nisi metus causa filius patri alienanti consensisset, *M. I. R. lib. 5. cap. 3. reg. 5. except. 12.* Quæ & ipsa replicatio videtur causæ propositæ inesse propter reuerentiam, quam filius patri debet. Sed obstat duplicatio hæc, nisi filius patri hæres existat *M. I. C. lib. 15. capit. 15. reg. 1. exception. 16. replicat.*

tit. i. duplicat. i. & M. I. R. dict. except. i. replic.
D. Quæ duplicatio propositæ causæ inest,
 & qua ratione elidi possit non video. Ideo
 contra Mauium actorem respondendum
 esse censeo.

Idem argumentū tractat, *Grævet. cons. 378.*

*LXVI. Mauius duos suos filios Titium &
 Seium heredes instituit, & casu quo alteruter
 eorum sine liberis decederet, superstitem cum li-
 beris suis masculis illi substituit. Moritur postea
 Titius relicto filio Iacobo, item moritur Seius
 relicto filio Claudio. Tandem moritur etiam Ia-
 cobus nullis liberis relicto. Queritur an Clau-
 dius frater illius patruelis illi ex substitutione
 succedat?*

D I S P U T A T I O.

Claudius intentionem suam fundat in
 substitutione, qua Titius & Seius inui-
 cem cum liberis masculis substituti sunt,
 si vnus ex illis sine liberis decederet.
 Quam substitutionem dicit etiam ad libe-
 ros Titii & Seii extendendam. Quod nega-
 tur ab hærede Iacobi. Quæstio de iure a-
 ctionis oritur, an substitutio reciproca Ti-
 tio & Seio facta si alteruter sine liberis de-
 cesserit, ad liberos eorum masculos sit ex-
 tendenda? Cuius probatio auctori Claudio

V 3 in-

incumbit, qua destituitur. Itaque contra actorem erit respondendum.

Idem argumentum tractat, *Gravetta cons. 385. & 397.*

LXVII. Caius cum esset pauper, sed divitiam haberet uxorem, negociatur in longinquis regionibus. Mauius ad mercatores eius loci amicos suos literas scripsit admonens eos ut sibi prospiciant, nec nimium Caio fidant: nam eo mortuo uxorem eius in bonis ab eo relictis aliis creditoribus praelatum iri. Has literas Caius nocturno actionem iniuriarum aduersus Mauium instituit, quasi fidem suam apud mercatores fecisset suspectam: Condemnatur Mauius, à qua sententia appellat. Queritur utrum bene an male sit iudicatum:

DISPUTATIO.

Mauius intensionem suam fundat in iure, quo actione iniuriarum non tenetur qui iniuriandi animum non habuit: de quo *M. I. R. libr. 5. cap. 10. post reg. 78. except. 2.* Factum probat quod ii ad quos literas scripsit, sui sint amici, & quod Cuius patrimonium potissimum consistat in bonis dotalibus uxoris. Ius autem manifestum esse quod in concursu creditorum vxor in dote ceteris creditoribus præferatur. Itaque
non

non animo iniuriandi Caium, sed amicos admonendi literas se scripsisse, quo sibi prospicerent. Hæc intentio Mævii satis probata est, quæ qua exceptione elidi possit non video. Itaque malè iudicatum, & benè appellatum esse censeo.

Idem argumentum tractat, *Grauet. consil. 386.*

LXVIII. Titius testamento factò Ioanna filia legavit 300. aureos si elocaretur, postea hæredem instituit ex asse Seium. Cui substituit Ioannam filiam, si Seius sine liberis decederet. Ioanna autem substituit Mundam Ioanna sororem. Queritur si filia Ioanna decesserit impubes ante Seium fratrem hæredem institutum, an Munda ex substitutione sit admittenda.

DISPUTATIO.

Munda intentionem suam fundat in substitutione, qua sorori Ioannæ sine liberis defuncta est substituta. Excipitur si non Ioanna ante fratrem Seium decessisset. Cuius maior propositio est si substitutus ante hæredem institutum decesserit, is qui substituto substitutus est, pendente iure institutionis non admittitur. In quo causa consistit. Probatio autè excipienti incūbit. Probatur autem *l. 2. in prin. & §. defertur ff.*

V 3 de

de donat. possessione secundum tabulas. Vbi asseritur. Si alius proximior hæres esse possit vltiori hæreditatem non deferri. Concordant ea, quæ habentur, *M. I. C. lib. 12 cap. 11. quest. 1. except. 3. & except. 5.* Itaque dicendum Mundam ad hæreditatem patris Titii admittendã non esse, nisi mortuo sine liberis Seio fratre hærede instituto, quasi sub eadem conditione Ioannæ substituta sit, sub qua Ioanna fratri fuit substituta.

Idem argumentum tractat, *Grauetta conf. 393. & Decius conf. 238.*

LXIX. Cum Titius Seio ex variis causis obligatus esset, & Seius pecunia indigeret exigua, pecunia Seio data effecit ut generalem illi acceptilationem faceret de omni debito accepto. Postea Seius magnam summam ex causa venditionis sibi debitam petit quasi de ea in acceptilatione nõ cogitauerit: quaritur an sit audiendus?

D I S P U T A T I O.

Titius excipiendo intentionem suam fundat in iure, quo per acceptilationem omnis tollitur obligatio: de quo, *M. I. R. lib. 5. cap. 12. reg. 7.* Excipit actor quod de alio debito, non de eo quod petitur, acceptilatio facta. Quæ exceptio approbatur *M. I.*

6. lib.

C. lib. 24. ca. 11. q. 8. reg. 1. Replicat Titius reus quod generalis fuerit acceptilatio de omni debito accepto, *M. I. C. d. reg. 1. except. 1.* Seius duplicat quod dolo Titii debitoris facta sit generalis acceptilatio. Hoc negatur à Titio lis de facto huius dupl. oritur an Seius dolo Titii inductus generalem fecerit acceptilationem? Cuius probatio Seio actōri incumbit, quo non probante contra Seium erit respondendum.

Idem argumentum tractat *Grauet. conf. 394. cum seq.* vbi argumenta probationis proponuntur, quæ ex arbitrio iudicis pendent.

LXX. Seius habens ex priore matrimonio liberos iteravit nuptias cum Ioanna, & in contractu matrimonii fit donatio reciproca inter Seium & secundam uxorem. Quaritur an donatio ista valeat contra l. Hac edictali C. de secundis nuptiis.

D I S P U T A T I O.

Liberi prioris matrimonii contra donationem intentionem suam fundant in *d. l. hac edict.* qua prohibetur parens superstes secundæ uxori plus relinquere, quàm vni ex liberis prioris matrimonii: de quo, *M. I. R. lib. 3. cap. 8. reg. 69. except. 2.* Excipitur quod

ista

ista lex in donatione reciproca locum non habeat. De iure huius except. quæstio est, cuius probatio excipienti incumbit. Verum cum nulla speciali lege adprobetur, dicendum est istam exceptionem non esse admittendam.

Idem argumentum tractat, *Gruetta conf. 405.*

LXXI. Cum inter Titium & Seium de domo lis esset; contra Seium possessorem domus sententia dicta est, & cum in executione Seius exciperet de sumptibus, quos in domo reficienda fecisset, sibi restituendis. Quæritur an sit audiendus?

D I S P U T A T I O.

Titius actor intentionem suam fundat in iure quo contra executionem rei iudicatæ non potest opponi exceptio: de quo, *M. I. R. lib. 2. cap. 19. reg. 8.* Cuius exceptio est, nisi per exceptionem oppositam non oppugnetur res iudicata, ea enim est admittenda, *d. reg. 8. except. 9.* Talis autem est exceptio expensarum. Ergo, &c. Huic obstat replicatio hæc, nisi exceptio opposita altiorrem requirat indaginem: hanc enim executionem non remoratur *d. reg. 8. in fine.* De minore propositione huius replicationis

nis

nis dubitatur, quæ à Titio actore probanda est, qua non probata contra Titium erit respondendum.

Idem argumentum tractat, *Graueffa cons. 408.*

LXXII. Deceſſit Scia relictis liberis, item fratre & ſore preſupponitur liberos deceſſiſſe hereditate non adita ſine deſcendentibus fratre iam pre mortuo, & relicto filio poſt mortem Scia concepto, item relicta ſororis filia. Queritur an filius fratris Scia ſuccedat cum ſororis filia?

D I S P U T A T I O.

Filius fratris intentionem ſuam fundat in iure, quo pari gradu defuncto cognati ab inteſtato pariter ſuccedunt: de quo, *M. I. R. lib. 4. cap. 6. reg. 15. in prin.* At filius fratris & filia ſororis in tertio gradu Scia defunctæ ſunt cognati. Ergo, &c. Huic obſtat exceptio hæc, niſi filius fratris tempore mortis Scia nondum fuerit conceptus. Quæ approbatur, *M. I. C. libr. 10. cap. 6. except. 14. diſt. 1.* Et pro poſitæ cauſæ ineſt, nec qua replicatione poſſit elidi video. Itaq; reſpondeo filium fratris à ſucceſſione Scia amicitæ ſuæ excludi.

Idem argumentum tractat, *Graueffa conſ. ſil. 410.*

LXXIII. Berta ciuis Parmensis nupsit extra territorium Parmense : postea fit statutum Parmense ne mulieribus extra territorium nubentibus deferatur hereditas in territorio. Moritur tandem frater Berta ciuis Parmensis relicta sorore Berta, qua illi ab intestato vult, succedere: queritur an possit?

D I S P U T A T I O.

Patruus defuncti volens excludere sororem à defuncti hereditate intentionem suam fundat in statuto Parmensi, quod soror extra territorium nupsit. Excipitur quod ante, non post illud statutum extra territorium nupsit. Statuta autem non pertinere ad casus præteritos. Quæ exceptio approbatur, *M. I. R. lib. I. cap. 2. except. 14.* Cui quid obiici possit non video. Itaque respondeo Bertam statuto non ligari.

Idem argumentum tractat, *Grauetta cons. 414.*

LXXIIII. Seius Titij heres rogatus post mortem suam hereditatem Mauius restitueret, prædium ex ea legauit Sempronio, quod post mortem Seij Mauius à Sempronio ratione sui fideicommissi euincit. Queritur an heres Seii Sempronio de euictione teneatur?

D I S

DISPVATIO.

Hæres Seii excipiendo intentionem suam fundat in iure, quo hæres testatoris re legata cuiçta legatario de cuiçtione non tenetur: de quo, *M. I. R. lib. 4. cap. 9. reg. 12.* Cuius except. est nisi testator sciens rem alienam legauit: hoc enim casu hæres legatario cuiçtione tenetur præstare, *d. reg. 12. except. 3.* De minore propositione huius exceptionis dubitatur, vtrum Seius sciens, an ignorans prædium, quod Sempronio legauit, Mæuio restituere rogatus sit? Et quamuis ignorantia in dubio præsumatur, *M. I. R. libr. 2. cap. 11. in verbo Ignorantia in pr.* hoc tamen distinguitur in eo, qui ignorasse dicitur, quod scire ex officio necesse habuit *d. verbo Ignorantia except. 15.* Quæ distinctio propolita causæ inest: Siquidem Seius scire debuit prædium legatum post mortem suam Mæuio cum reliqua hæreditate Titii esse restituendum. Itaque nisi hæres Seii ignorantiam ipsius probauerit, pro Sempronio erit respondendum.

Idem argumentum tractat, *Grauetta conf. 417. in prin.*

LXXV. Vincentius à patruo suo Francisco hæres institutus est & rogatus, si sine liberis decesserit,

serit hereditatem Sempronio restituere. Moritur ante aditam hereditatem Vincentius filio suo Alexandro hærede relicto. Queritur an Vincentius hereditatem Francisci ad filium Alexandrum transmisserit?

D I S P U T A T I O.

Præsumptio est pro negatiua: quia Vincentius ante aditam hereditatem decessit quo casu hereditas ad heredem non transmittitur: de quo agitur, *M.I.R. lib.4.cap.5. reg.1. except.1.* Cuius exceptio est, nisi alia fuerit mens testatoris, *d.except.1.repl.9.* Minor propositio negatur ab aduersario. Causa in hoc consistit an testator voluerit hereditatem suam nondum aditam ad filium Vincentii transmitti? Affirmanti huius probatio incumbit. Probatur autem hoc argumento quod in conditione fideicommissi adiecto liberorum Vincentii testator fecerit mentionem. Ex quo colligitur quod plus dilexerit liberos Vincentii quam ipsum fideicommissarium. Itaque dicendum hereditatem etiam non aditam ad filium Vincentii esse transmissam.

Idem argumentum tractat, *Grauetta cons.418.*

LXXVI. Titius qui non fuit soluendo, patris

stris Manij defuncti optimam hereditatem adit, quo mortuo, filius eius Sempronius patris hereditatem repudiatur, & Manij aui paterni hereditatem adit. Queritur an valeat aditio?

D I S P U T A T I O.

Sempronius intentionem suam fundat in iure, quo ad eundo hereditatem heres hereditatem acquirit : de quo, *M. I. R. lib. 4. cap. 7. reg. 6.* Cuius exceptio est, nisi antea hereditatem repudiasset: hoc enim casu postea ad eundo nihil agit, *d. reg. 6. except. 12.* Huius replicatio est, nisi aliam hereditatem antea repudiavit, non eam quam nunc adit. Quæ replicatio ipso quidem iure subsistit, & causæ propositæ inest: Siquidem Sempronius patris, non aui paterni hereditatem antea repudiavit. Verum eius duplicatio est, nisi antea hereditas aui à Titio filio patre Sempronii esset adita: hoc enim casu vna hereditas patris & filii est facta *M. I. R. d. c. 7. reg. 9.* Ideoque paternam hereditatem Sempronius repudiando simul etiam aui hereditatem repudiavit: quemadmodum contra si paternam hereditatem antea adiisset, aui hereditatem postea frustra repudiaret, *M. I. C. lib. 10. ca. 13. reg. 1. except. 24.* Cui duplicationi qui d
obstet

obstet non video. Itaque contra Sempromium in casu proposito respondendum esse censeo.

Idem argumentum tractat, *Græc. consil. 420.*

LXXVII. Camilla Titio primo marito in dotem dedit mille aureos: quo defuncto nupsit Scio secundo marito. Cum autem mille aureos in dotem datos ab heredib. primi mariti consequi non posset, fundus illi adiudicatus est maioris æstimationis: quem fundum secundo marito in dotem dedit. Soluta per mortem Camille matrimonio, hæres defunctæ Lucretia repetit fundum dotalem. Secundus maritus offert illi inuito pro fundo mille aureos, Quæritur quid iuris?

DISPUTATIO.

Lucretia intentionem suam fundatam habet in iure, quo aliud pro alio inuito creditori solui non potest: de quo, *M. I. R. lib. 5. cap. 12. reg. 5. except. 6.* Cui opponitur exceptio duplex: vna si res æstimata in dotem data sit: quod in arbitrio mariti sit, vtrum rem, an eius æstimationem solvere velit, *M. I. C. lib. 4. cap. 17. reg. 10. except. 1.* At hoc casu negatur fundum æstimatum in dotem secundo marito esse datum. Quod à marito non

to non probatur. Sed etsi probaretur, ob-
 staret replicatio hæc, nisi minoris æstima-
 tio facta esset, *M.I.C. dict. except. 1. replicat. 3.*
 Itaque prima exceptio non est admitten-
 da. Altera rei conuerti exc. est sumpta ex
 statuto loci, quo cauetur dotē datā primo
 marito cēseri repetitam in secūdo matri-
 monio. Igitur cū primo marito mille aurei
 in dotē dati sint, totidē etiam secundo ma-
 rito in dotē datos cēseri. Sed illud statutū
 intelligendum est de casu, quo non appa-
 ret quid vèl quantum secundo marito in
 dotem sit datum, *M.I.R. lib. 3. cap. 9. reg. 4. ex-
 ception. 1. replic. 1.* At hic constat. Itaque nec
 altera exceptio reo prodest, sed contra eū
 est respondendum.

Idem argumentum tractat, *Granetta com-
 sil. 421.*

*LXXVIII. Stante statuto quo mater ab
 intestato non potest succedere filio, Titius fecit
 testamentum, in quo heredem instituit fratrem
 matre præterita. Queritur an mater possit pe-
 tere legitimam vel eius supplementum?*

D I S P U T A T I O.

Mater præterita intentionē suam fun-
 dat in iure, quo parentes à liberis præteriti
 testamentū nullū dicere possunt: de quo,

M.I.R.

M. I. R. lib. 4. cap. 2. reg. 21. except. 110. Cui obstat exceptio hæc, nisi parens statuto loci filio ab intestato non possit succedere *dict. except. 110. repl. 3. & d. libr. 4. cap. 8. reg. 24. exc. 15.* Cuius replicatio videtur quoad legitimam, hæc enim per statutum parenti auferri non posse videtur, quemadmodum nec liberis potest auferri. Sed hæc replicatio est controuersa, *d. except. 15.* Ideoque nõ est admittenda, sed contra matrem in casu proposito respondendum.

Idem argumentum tractat, *Græuet. consil. 423.*

LXXIX. Mauius fundum dotalem matris sue vendidit pro mille & ducentis aureis cum q̄. Mauius emptori ducentos aureos deberet, eos emptori accepto tulit, & reliquũ precium nempe mille aureos nomine suo & matris stipulatus est annua, bima, trima die solui. cauitque emptori de euictione nomine suo proprio. Mater ista à filio suo gesta ratificat. Mortua matre in diuisione hereditatis Mauius dictos mille aureos sibi pro dimidia parte à matre esse donatos dicit, fratres negant. Queritur quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Donatio in dubio non præsumitur nisi probetur, *M. I. R. libr. 2. cap. 11. in verbo Donatio.*

natio. Argumentum autem quo Mæuius donationem probat est, quod istos mille aureos suo & matris nomine solui stipulatus sit, matre ratificante. Quod vtrum satis probet donationem in arbitrio iudicis est, *d. cap. 11. in fine.* Mihi quidem verisimile videtur quod mater generaliter ratificans quæ à filio gesta sunt hæc verba nomine suo non ita expenderit, quasi filio donatura. Idèoque nisi Mæuius melioribus argumentis donationem probet, contra eum teneo esse respondendum.

Idem argumentum tractat, *Grauetta cons. 424.*

LXXX. Retento casu precedente Mæuius confessus est dictos mille aureos ab emptore solutos esse. Quæritur an dicta confessio matri præiudicet? & dicendum quod non per ea, quæ habentur, *M. I. R. lib. 2. cap. 17. reg. 2. except. 1. cum replic. 1.* Accedit *Grauetta d. consil. 424. in fine.*

LXXXI. Scius aduersus Mæuium agit ex c. redintegrandi. 3. quæst. 1. ad recuperandum castrum N. Quæritur an agenti obstet centenaria præscriptio? Respondeo quod sic per ea, quæ *cent. 1. decis. 29. allegavi.*

Idem argumentum tractat, *Grauetta* *conf. 425. in primo dubio.*

LXXXII. Sempronius omnia sua bona pignori obligauit creditoribus. Queritur an in generali hypotheca contineantur etiam bona emphyteutica?

D I S P U T A T I O.

Creditores intentionem suam fundatam habet in iure, quo sub generali hypotheca comprehenduntur omnia bona debitoris: de quo *M. I. R. lib. 5. c. 5. reg. 30.* Ab hoc iure hæres Sempronii excipit bona emphyteutica. Sed hæc exc. est controuersa *d. reg. 30. except. 6.* Ideoque non admittenda.

Idem argumentum tractat, *Grauetta* *conf. 427. in prin.*

LXXXIII. Mauius Scio pradium suum vendidit cum pacto de reuendendo ipsi Mauio venditori duntaxat, ut obligatio reuendendi non egrediatur personam Mauij. Queritur an mortuo Mauio ipsius hæredi ius retractus competat?

D I S P U T A T I O.

Hæres Mæuii intentionē suam fundat, in iure, quo ex contractu defuncti hæredi eius competit actio: de quo *M. I. R. lib. 5. c. 1. reg. 21. & c. 3. reg. & exc. 1.* Cuius except. est, nisi pactum sit personale: hoc enim nō prodest

dest hæredi *d. exc. i. rep. 4.* Minor propositio
 In dubium vocatur vtrum pactum Mæuii
 fuerit personale, an reale? Et sane vtrū pa-
 ctum sit personale, an reale vt transeat ad
 hæredem non tam spectanda sunt verba
 quam mens paciscentium. *l. iurisgentium 7.*
§. Pactorum vers. vtrum autem in rem ff. de pa-
ctis: Et in dubio non solum nobismetipsis.
 Sed etiam hæredibus nostris cauemus *l. si*
pactum 9. ff. de probationib. Nec obstat quod
 particula taxatiua in contractu sit adiecta:
 nam an ob id pactum personale dicatur
 quod ad hæredes non transeat apud Dd.
 controuertitur *M. I. R. d. repl. 4.* Ideoque
 non attendendum Quare dicendum Mæ-
 uii hæredi ius retractus non esse denegan-
 dum.

Idem argumentum tractat, *Grauet. com-*
fil. 428.

LXXXVIII. *Cum inter Titulum & Seium*
de pradio lis esset, tandem de ea inter eos fuit
transactum, vt Titius acceptis triginta aureis
Seio pradium restitueret. Tandem Seius instru-
mento reperto cognouit pradium defuncti, cui
ipse hæres existit, fuisse. Quaritur an triginta
aureos Titio solutos per conditionem in debiti
repetere possit?

DISPVATIO.

Seius intentionem suam fundatam habet in iure, quod id quod per errorem solutum est, conditione indebiti repeti potest: de quo, *M. I. R. lib. 5. cap. 13. reg. 49.* Cuius exceptio est, nisi ex causa transactionis solutum sit: hoc enim casu etiam errore cōperto solutum repeti non potest, *M. I. R. lib. 2. cap. 13. reg. 1. except. 4.* Quæ exceptio propositæ causæ inest, nec qua replicatione possit elidi video. Itaque respondeo Seio conditionem indebiti esse denegandam

Idem argumentum tractat, *Grauetta conf. 430.*

LXXXV. Seius sine causa verbis incuriosis aggreditur Titium, manu ad pugionem ad-mota, sed nondum eductum. Titius cum blandis verbis Seium sedare non posset, metuens maius periculum in fuga si caderet, quam si stando resisteret, pugionem suum eduxit & Seium interfecit. Quæritur quid iuris?

DISPVATIO.

Accusator intentionem suam fundatam habet in iure, quo homicida ultimo supplicio est afficiendus: de quo, *M. I. R. lib. 1. cap. 13. crimine 4. reg. 1.* Cuius exceptio est, nisi quis sui defendēdi causa homicidium fecerit

fecerit, *d. crim. 4. except. general. 4.* Quæ exceptio propositæ cauæ inest. Sed eliditur replicatione hac, nisi cum reus fugere posset in aluit resistere. Quæ tamen replicatio reprobatur *d. except. 4. repl. 2.* item videtur obstare replicatio hæc, nisi occisus pignorem nondum eduxerit, sed & hæc replicatio reprobatur *d. except. 4. repl. 7. dupl. 1.* Itaque dicendum Titium reum esse absoluum.

Idem argumentum tractat, *Grauetta consil. 432.*

LXXXVI. Mauius Sempronio prædium suum pignori obligat pro centum aureis, & constituit Sempronius se illud prædium Mauii nomine possidere. Postea mortuo Sempronio Mauius heredi eius centum aureos offert ac prædium sibi restitui petit. Cum autem heres prædium restituere recusaret, Mauius illud propria authoritate occupat. Queritur quid iuris?

DISPUTATIO.

Hæres Sempronii intentionem suam fundatam habet in iure, quo prædio per vim occupato possessio eius per interdictum vnde vi recuperatur: de quo, *M. I. R. lib. 3. cap. 16. reg. 1.* Excipit Mauius quod ciuilem possessionem prædii per constitutum

retinuerit. Quæ exceptio nulla speciali lege reperitur approbata. Ergo non est admittenda. Sed Mæuius ad restitutionem condemnandus.

Idem argumentum tractat, *Grauet. consil. 437.*

LXXXVII. Titius pradium à Seio in emphytheusin accepit canone magno. Queritur cū fructus exiguos perceperit an ad remittendam pensionem agere possit?

D I S P U T A T I O.

Seius intentionem fundat in iure, quo emphyteuta ob casum fortuitum non potest agere ad remittendam pensionem: de quo, *M. I. R. lib. 5. cap. 6. reg. 77. except. 3. & cap. 7. reg. 27. except. 7.* Cuius exceptio est, nisi canon magnus sit, *d. except. 7. dist. 2.* Quæ exceptio propositæ causæ inest, nec qua replicatione elidi queat animaduerto. Itaque pro Titio puto esse respondendum.

Idem argumentum tractat, *Grauet. consil. 448.*

LXXXVIII. Seius in bellum profecturus Mæuius mortis causa pradium suum donat sub hac conditione si in bello perierit. Queritur si incolumis ad suos è bello sit reuersus, an mortis causa donatio censeatur reuocata Seio postea mortuo.

D I S

DISPUTATIO.

Mæuius intentionem suam fundatam habet in iure, quo mortis causa donatio confirmatur morte donatoris: de quo, *M. I. R. lib. 4. cap. 11. reg. 40.* Cuius exceptio est, nisi causa, ob quam donatio facta est, non sit secuta *M. I. R. d. t. 11. reg. 10. exc. 24.* Quæ exceptio propositæ causæ inest. Quia ob periculum belli est donatum, quod cessauit. Verum eius replicatio est, nisi de voluntate donatoris mutata, vel de eius poenitentia non constet. Quæ replicatio approbatur, *M. I. R. lib. 1. cap. 1. reg. 5. in prin.* Nam ratio donationis mortis causa est, quod donator rem donatam malit donatarii esse quam hæredis *M. I. C. libro 14. capit. 17. reg. 1.* Quæ voluntas donatoris post reditum ac ante abitum durat, nisi probetur mutata: nec refert quod belli mentio in conditione sit facta: bellum enim occasio, non causa fuit donationis. At ab occasione ad alias species negatiuè non procedit argumentum exemplo *litem veniunt 22. §. ait Senatus ff. de petit. hereditatis l. 2. ff. de riuis l. 1. §. sexum ff. de postulando.* Itaq; nisi hæres Scii probauerit voluntatem donatoris esse mutatã, pro Mæuio erit respondendũ.

Idem argumentum tractat, *Grauesq. conf. 450.*

LXXXIX. Seius nurus sua Berta bona omnia mobilia & immobilia vendidit Meuius ipsius Berta vitrico pro 1500. florenis: quam venditionem Berta minor vigintiquinque annis mediante iuramento ratificauit. Post tredecim annos Berta omnia bona sua mobilia & immobilia, iura & actiones Caio donauit ac cessit. Qua cessione facta Caius aduersus Meuium agit de bonis ipsi à Seio venditis. Queritur quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Caius intentionem suam fundat in donatione & cessione bonorum vniuersali sibi à Berta facta: de qua agitur, *M. I. R. lib. 4. cap. 11. reg. 10. & lib. 5. cap. 1. reg. 19. except. 1.* Meuius opponit exceptionem rei venditæ ac traditæ, nec verisimile esse ea, quæ quis alteri vendidit, voluisse postea alteri donare. Præsumptio pro reo est: Verum replicando eliditur, quod venditio bonorum minoris sine decreto magistratus non valeat. Quæ replicatio approbatur, *M. I. R. lib. 3. cap. 12. reg. 45.* Et causæ propositæ inest. Sed obstat duplicatio hæc, nisi venditio iuramento minoris esset confirmata *d. reg. 45. exc. 3.*

Quæ

Quæ & ipsa duplicatio propositæ causæ inest, nec qua distinctione queat elidi video. Itaque pro Mævio putò respondendum.

Idem argumentum tractat, *Gravetta cons. 455.*

XC. Vincentius in bellum profecturus curam bonorum suorum, Sebastiano mandavit, cumque diu peregrè abesset Sebastianus curam bonorum absentis Stephano, qui absentis non reuerso ab intestato successurus erat, commisit. Tandem Vincentius reuersus rationem administrationis bonorum à Stephano exegit, & cum eo transigit. Postea egit aduersus Sebastianum. Queritur quid iuris?

DISPUTATIO.

Vincentius intentionem suam fundatam habet in iure, quo mandatarius mandatori obligatus est ratione mandati negotii: de quo *M.I.R. lib. 5. cap. 6. reg. 101.* Ex parte rei obiicitur exceptio transactionis: de qua *M.I.R. lib. 2. cap. vlt. in princ.* Cui obstat replicatio hæc quod transactio cum alio facta alii non profit *M.I.C. lib. 15. cap. 17. reg. 1.* Cuius duplicatio est quoad transactionem procuratoris, quæ etiam domino prodest *M.I.C. d. reg. 1. except. 6.* Quæ du-

plicatio propositæ causæ inest: Siquidem Stephanus, qui transegit, mādāta Sebastiani curam bonorum Vincentii suscepit, & inde substitutus procurator Sebastiani fuit. Qua autem distinctione duplicatio hæc elidi queat non video: nisi Vincentius dicat se de eo, quod Sebastianus gessit antequam Stephano curam bonorum demā-dasset agere. Quo casu alia actoris replicatio est, quod transactio de alia re vel causa facta in alia non noceat, *M. I. C. lib. 2. cap. 41. excep. 18.* Alias pro reo Sebastiano putarem respondendum.

Idem argumentum tractat, *Graues. consil. 458.*

XCI. Stante loci statuto, quo extantibus masculis fœmina à successione parentū excluduntur, moritur Titius relicto filio & duabus filiabus, item multis bonis sitis partim in loco statuti, partim in aliis locis, in quibus statutum illud non obtinet: queritur an filia in bonis extra territorium statuentium sitis cum fratre pariter succedant?

D I S P U T A T I O.

Filiæ intentionem suam fundatam habent in iure, quo filiæ cum filiis ab intestato parentibus succedunt: de quo *M. I. R. lib.*

4. cap. 6. reg. 2. in prin. Cui obstat exceptio ex statuto loci sumpta: de qua *d. reg. 2. except. 4. dist. 1.* Sed huic obiicitur replicatio quoad bona extra territorium statuentium sita. Quæ controuertitur quidem, sed magis approbatur *d. dist. 1. repl. 11.* Et causæ propositæ inest. Quamuis autem controuersa sit, tamen subsistit l. ult. ff. de iurisdictione, & communiter approbatur. Idemque secundum eam pro actricibus respondendum.

Idem argumentum tractat, *Granetta cons. 467. Decius cons. 276. n. 4.*

XCII. Sempronius inuestiuit Mauium de feudo N. pro ipso & eius heredibus masculis & fæminis, ut dictum feudum habeant nomine gentilis & recti feudi ita ut faciant de eo quidquid voluerint sine omni contradictione Sempronii domini. Deinde subiicitur alia clausula per intervallum. Hoc expressim actio inter partes prædictas quod neq; Mauius, neq; Sempronius post prædicta alienare, vel in alium transferre nisi de consensu utriusq; partis. Quaritur si feudum fuerit alienatum, an proximioribus adgnatis illud reuocare liceat?

DISPUTATIO.

Adgnati Mæui alienantis intentionem

suam

suam fundatam habent in iure, quo feudo alienato adgnatis illud reuocare permittitur: de quo *M. I. F. cap. 5. quest. 1. causa 37. except. 25. repl. 1.* Cui videtur obstare exceptio hæc, nisi feudum ita concessum sit, vt de eo liceat Vasallo facere quidquid uoluerit. Quæ exceptio præterquam quod nulla speciali lege adprobetur, habet etiã præsumptionem iuris contra se: cum pactum inter dominum & Vasallum adgnatis non præiudicet *d. except. 25. repl. 1.* Itaque hac exceptione omissa, videndum qua alia exceptione emptori feudi succurratur. Inter alias autem exceptiones numeratur & hæc, nisi feudum nouum sit *d. repl. 1. dupl. 1.* Quæ propositæ causæ inest. Verum eliditur replicatione hac, nisi inter dominum & Vasallum conuenerit vt feudum habeat nomine gentilis & recti feudi: quo casu feudum habetur pro feudo antiquo, *M. I. F. cap. 4. reg. 4. excep. 1. repl. 7.* Quanquam autem ex d. loco patet hanc replicationem esse controuersam: tamen quia in dubio præsumitur pro pacto quod valeat, dicendum est eam esse admittendam. Postremo videtur emptori competere exceptio hæc, nisi feudum sit hæreditarium: hoc enim

non

non nisi hæredi competere potest, qui alienationem à defuncto factam cogitur hanc habere, *d. repl. 1. dupl. 2.* Hæc autem propositæ causæ videtur inesse: cum Mæuius feudum concessum sit pro ipso & eius hæredibus masculis & fœminis. Verum & hæc exceptio eliditur dicta replicatione pacti inter Sempronium & Mæuium initi, ut nomine recti feudi habeatur, itaq; pro actoribus in casu proposito videtur respondendum.

Idē argumentū tractat, *Grauet. cons. 472.*

XCIII. Anna ingressura monasterium bonis paternis viuo patre renunciat. Mortuo patre cum supersint Anna fratres germani & Vterini, queritur an fratres germani in portione, quæ Anna soror in bonis paternis, si non renunciaisset, habitura esset, fratres uterinos excludant?

D I S P U T A T I O.

Fratres germani intensionem fundant in iure, quo Vterinos à successione sororis germanæ excludunt: de quo, *M. I. R. lib. 4. c. 6. reg. 8. except. 2.* Cuius exceptio est, nisi non de hæreditate sororis, sed de patris hæreditate agatur: hoc enim casu quamuis vnus ex fratribus vel sororibus germanis deficiat tamen eius portio in hæreditate paterna
 omni-

omnibus fratrib. tam vterinis quam germanis adcrefcit *d. except. 2. repl. 1.* Vbi exceptio hæc controuertitur quidem, fed pro ea est præfumptio iuris, qua portio deficiens omnibus hæredibus ex æquo adcrefcit. *M. I. R. lib. 4. cap. 5. reg. 28. in prin.* Itaque exceptio hæc est, admittenda: cum propofitæ caufæ in fit. Cuius replicatio est, nifi in fauorem fratrum germanorum Anna foror renunciaffet. De cuius replicationis iure dubitatur apud *Grauet. in conf. 475.* Sed dicendum est illud præfumi: quia fpeciem donationis habet, quæ valet in futura hæreditate, confentiente eo, de cuius hæreditate agitur *l. ult. C. de pactis.* Itaque fi de facto eius conftaret pro fratribus germanis tenerem effe respondendum.

XCIIII. Scius Sempronio locat prædium fuum N. in annos quatuor, & promifit fub obligatione bonorum fuorum nullum contractum fe in præiudicium locationis initarum. Poftca vendit dictum prædium Mauro. Queritur an Meuius emptor Sempronium conductorem ante finitum tempus conductionis expellere poffit?

Dis.

D I S P U T A T I O.

Mæuius emptor intentionem fundatam habet in iure, quo vendito prædio emptor conductorem expellere potest: de quo, *M.I.R. lib. 4. cap. 6. reg. 7.* Cuius exceptio est, nisi conductor pactus sit pignori bona conducta, *d. reg. 7. except. 2.* Quæ exceptio propositæ causæ inest, nec qua replicatione queat elidi video. Itaque contra Mæuium emptorem censeo respondendum.

Idem argumentum tractat, *Grauetta conf. 485.*

XCV. Mæuius Sempronio Syndico ciuitatis N. ligna vendidit in usum gubernatoris & custodia militum, precium lignorum à ciuitate N. exigit. Queritur an ciuitas ex contractu syndici sit obligata? Præsumptio est pro actore Mæuio *M.I.R. lib. 3. cap. 10. reg. 64.* Cui præsumptioni standum, donec exceptio aliqua, quæ iure & facto subsistat obiiciatur, quarum cum nullam in casu proposito animaduertam, pro actore Mæuio censeo respondendum.

Idem argumentum tractat; *Grauetta conf. 495.*

XCVI. Stante statuto quo extantib. masculis filia

filia à successione parentum excluduntur, moritur Titius relicto filio & filia, quæ dotata est non à patre, neq; à fratre, sed ab extraneo. Queritur an ea per fratrem excludatur?

D I S P U T A T I O.

Frater intentionem suam fundat in d. statuto: de quo, *M. I. R. lib. 4. cap. 6. reg. 2. except. 4. dist. 1.* Cuius exceptio est, nisi filia à patre vel fratre non sit dotata *d. dist. 1. repl. 17.* Quæ exceptio propositæ causæ inest: Sed replicando obiicitur; quod ab extraneo sit dotata. Quæ replicatio nulla speciali lege approbatur, & in simili casu scilicet legitimæ reprobatur, *M. I. R. lib. 4. cap. 8. reg. 24. except. 21. repl. 6. dupl. 1.* Ideoque dicendum eam non esse admittendam sed pro filia respondendum:

Idem argumentum tractat *Gravetta cons. 504.*

XCVII. Seius cum fundum Titii à Mevio non domino bona fide emisset, eumque per octo annos possedisset, à Titio rei vindicatione ad fundum cum fructibus restituendum convenitur. Queritur an ad fructus extantes cū fundo restituendos teneatur?

D I S P U T A T I O.

Titius intentionem suam fundat in iure, quo

re, quo bonæ fidei possessor ad fructus ex-
tantes tenetur: de quo, *M.I.R. lib. 5. cap. 1. reg. 61. except. 2 repl. 1.* Cuius exceptio est, nisi reus fructus per tres annos bona fide possedisset. De cuius exceptionis iure quæstio est. Approbatur autem *d. repl. 1. dupl. 1.* estq; pro ea præsumptio iuris: quia res mobiles triennio vsucapiuntur *M. I. R. libr. 3. cap. 13. reg. 45.* Sed replicando obiicitur quod fructus sint accessiones fundi ergo non nisi cum ipso fundo vsucapi possint iuxta regulam: Accessorium sequi naturam sui principalis. Sed ex regula ius non sumi alibi est ostensum, & fructus à solo separati nihil commune habent cum ipso fundo. Itaque hac replicatione reiecta pro Scio reo est respondendum.

Idem argumentum tractat, *Grauetta cons. 506. in prin.*

XCVIII. *Mauius à Sempronio centum mutuo acceptis prædium suum N. pro isto debito obligat, & paulo post moritur, moritur & Sempronius eodem anno post triginta sex annos, Cadius Sempronii hæres inter ceteras chartas reperit in hereditate chirographum Maui de dicto debito, & aduersus Titium Maui hæredem d-*

I

git

*git actione hypothecaria ad dictum pradium N.
Quæritur quid iuris?*

D I S P U T A T I O.

Titius reus excipiendo intentionem suam fundat in iure, quo conditioni ex mutuo triginta annis præscribitur. Ergo actionem hypothecariam non ultra triginta annos competere: de quo, *M. I. C. lib. 17. cap. 12. causa 8.* Ex parte actoris replicatur actioni hypothecariæ non nisi quadraginta annis præscribi, quamvis principali actioni minori tempore præscribatur, *d. causa 8. except. 4. & dict. lib. 17. cap. 16. question. 8. reg. 1.* Quæ replicatio propositæ causæ inest, nec qua duplicatione elidatur animaduerto. Itaque pro Caio actore censeo respondendum. Accedit *Grauetta cons. 506. vers. 7. si mirabile.*

XCIX. Berta habens ex primo matrimonio Seium filium nuptias iterat. Postea Seius filius moritur relicta uxore Anna, quæ ei ex consuetudine loci hæres existit. Quæritur an bona, quæ Berta mater à primo coniuge Sej patre adquisiuit, ad Annam uxorem tanquam hæredem transmiserit?

D I S P U T A T I O.

Anna actrix intentionem suam fundat
in

iniure, quo mater nuptias iterans bona, quæ à priore coniuge adquisiuit, liberis prioris matrimonii post mortem suam relinquere tenetur: de quo, *M. I. R. lib. 3. cap. 8. reg. 66. in princip.* Cuius exceptio est, nisi liberi prioris matrimonii omnes mortui sint, *dict. reg. 66. exception. 13.* Quæ exceptio propositæ causæ inest. Sed replicando obicitur, nisi filius prioris matrimonii alium hæredem quam matrem reliquisset. Quæ replicatio approbatur in descendantibus defuncti, *dict. exception. 13. replicat. 1.* Sed in aliis hæredibus non reperitur approbata. Itaq; dicendum actrici actionem esse denegandam.

Idem argumentum tractat, *Granetta conf. 513.*

C. Moritur Titius relicto auunculo Seio ex uno parente matris ipsius fratre, & Berta ex utroque parente matris ipsius sorore, qua Seio ratione duplicis vinculi in successione Titij præferri volens. At Seius iacentem hereditatem prior occupat, cumque Berta prædia hereditaria apprehendenda possessionis animo ingrederetur, Seius eam vi repulit. Vnde illa unde vi interdicto aduersus Seium agit. Queritur quid iuris?

Berta intentionem suam fundat in iure, quo vi deiecta per interdictum vnde ei ad recuperandam possessionem succurritur: de quo, *M.I.R. lib. 3. cap. 16. reg. 1.* Cuius exceptio est, nisi reus suæ possessionis defendendę animo ingressam possessionem vi deiecerit, *d. reg. 1. except. 11.* Quæ exceptio proposita causa inest, nec qua replicatione elidiqueat video. Itaque pro Scio reo censeo respondendum.

Idem argumentum sed in contrarium tractat, *Cicero in oratione pro Cecinna.*

**Tertię Centurię Responsorum
Iuris.**

F I N I S.

N I C O.

CENTVRIA IV. 341
NICOLAI VIGELII I. C.
RESPONSORVM IVRIS
CENTVRIA IV.

I. C A V S A.

Franciscus bona sua post mortem voluit locari Mauii filiis & descendentes eius ordine successivo salva gradus prerogativa. Mortuo Mauiio succedit Vagia filia, cum qua ad dictam locationem admitti petit, Lysa Mauii ex filio neptis. Queritur quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Vagia filia Mæuii ad excludendam Lysam ex fratre neptem intentionem suam fundat in iure, quo ad legatum familie relictum admittitur proximior gradu remotiore excluso: de quo *M. I. R. lib. 4. cap. 10. reg. 82. except. 1.* Excipit Lysa quod pater ipsius si viueret, in pari gradu esset cum Vagia, & se repræsentare patrem defunctum. Quæ exceptio est controuersa hoc casu *d. except. 1. repl. 1.* Ideo non admittenda, sed contra Lysam respondendum. *vide 1. responso. 7.*

Idem argumentum tractat, *Decius. consilio 1.*

II. *Seius promisit sub pæna Mauiio quod Titium Calendis Martii in iudicio velit sistere,*

sed

*sed non fuit interpellatus ad sistendum Titium;
Quæritur an nihilominus pœna sit commissæ,
quamuis ad sistendum non sit interpellatus?*

DISPUTATIO.

Mœuius agens ad pœnam intentionem suam fundat in iure, quo pœna committitur si non sit factũ, quod sub pœna est promissum: de quo, *M. I. R. lib. 5. ca. 4. reg. 20.* Cuius excep. est, nisi reus ad præstandum promissum nõ fuit interpellatus *d. reg. 20. exc. 8.* Quæ exc. propositę causæ inest. Sed eliditur repl. hac, nisi certum tempus præstationi sit adiectum: tunc enim tempus interpellat pro homine *M. I. R. li. 5. c. 1. reg. 58. exc. 1. repl. 1.* Quæ & ipsa repl. propositę causæ inest. Sed distinguitur nisi nõ solum tempus, sed etiam conditio in sit stipulationi: tunc enim quia ante existentem conditionem non nascitur obligatio, nõ potest promissor in mora constitui sine interpellatione non nata obligatione *d. repl. 1. disp. 3.* Hac distinctione reus duplicando uti potest. Quæ tamẽ dupl. eliditur triplicatione hac, nisi conditio non sit expressa, sed tacitè in sit: hæ enim obligationem non suspendit *l. si ita 64. §. illi si volet ff. de leg. 1.* Accedunt ea, quę habentur *M. I. C. lib. 13. c. 7. exc.*

11. & *M. I. R. lib. 4. c. 9. reg. 113. exc. 1. repl. 2.* Quæ triplic. propositæ causæ inest: siquidē tacitē inest conditio hæc, si Titius cal. Martii vixerit. Itaq; reus pposita exc. non iuuatur, sed pro actore Mævio est respondendum.

Idem argumentum sed in contrarium tractat, *Decius conf. 2.*

III. *Cum Titius bonis cessisset, à creditorib. eius bonis curator Seius est datus, qui pecunia, q̄ ex administratione bonorū exegit, negociatus est. Postea cum tempore constituto creditorib. rationem administrationis redderet, soluit summam quā acceperat. Quæritur an lucrum etiā, quod ex negociatione fecit creditoribus restituere teneatur?* Respondeo quod non: quia si quis alterius pecunia rem emerit, eius est qui emit, non eius, cuius fuit pecunia, *M. I. R. lib. 3. cap. 13. reg. 19.*

Idem argumentum tractat, *Dec. conf. 6.*

IV. *Mævius & Titius gladiatores, cum incertamine de victoria certarent, Titius Mævium casu vulneravit, ex quo vulnere postea mortuus est. Quæritur an & qua pæna Titius sit puniendus?*

DISPUTATIO.

Accusator intentionē suā fundat in iure, quo homicida ultimo supplicio est puniendus:

dus: de quo, *M. I. R. lib. 1. cap. 13. crimine 4. reg. 1.* Cuius exceptio est, nisi non occidendi animo homicidium sit factum *d. crim. 4. post reg. 9. except. gener. 1.* Quæ exceptio propositæ causæ inest. Sed eliditur replicatione hac, quod nihilominus extra ordinem sit puniendus *d. except. 1. replic. 4.* Cuius duplicatio est, nisi in certamine virtutis licito alter alterum non ex proposito occiderit. Quæ actione. §. *si. quis in colluctatione ff. ad L. accusat. gloss.* Quæ duplicatio propositæ causæ inest, nec aliqua triplicatione potest elidi. Itaque secundum Titium reum est respondendum.

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 9.*

V. Mortuo Mauio vidua eius Berta dotem mille aureorum ab eius heredibus repetit: heredes intra annum quantitatem petitam solvere promittunt, & si non soluant pradia quadam malint in solutum dent: Cui vidua cōsentit. Post annum mulier dotem promissam denuo petit, nec pradia in solutum data vult habere. Quæritur quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Berta intentionem suam excipiendo fundat in iure, quo aliud pro alio inuito credi-

creditore solui non potest: de quo, *M.I.R. lib. 5. cap. 12. reg. 5. except. 6.* Excipitur ab hæredibus, si actrix non consensisset in dationem in solutum. At semel consensit, Ergo, &c. Quæ exceptio propositæ causæ inest: nec qua replicatione elidi possit animaduerto: Nam quæ proponuntur de electione creditoris intelligenda sunt de electione nondum facta. Vidua autem quæ consensit in dationem in solutum, hoc ipso solutionem prædiorum elegit. Electione autem semel facta poenitentia locus non est *M.I.R. lib. 4. cap. 10. reg. 75. except. 7.* Itaque pro hæredibus est respondendum.

Idem argumentum sed in contrarium tractat, *Decius cons. 12.*

VI. Sempronius filios suos hæredes instituit, eosque inuicem substituit, & si omnes sine filiis decederent, ultimo morienti substituit Maniũ extraneum. Moriuntur omnes filii, & ultimus moriens reliquit filiam. Queritur an hac filia excludat Manium substitutum?

D I S P U T A T I O.

Filia ultimo morientis intentionem suam fundat in iure, quo appellatione filiorum etiam filia continentur: de quo,

M.I.R.lib.4.10.reg.50.except.4. Cuius exceptio est, nisi contraria sit voluntas testatoris, *M.I.R.lib.4.ca.9.reg.117.* De minore propositione dubitatur, nec ea satis probatur. Itaque obstat replicatio hæc, nisi voluntas testatoris sit dubia, nec satis probata *d.reg.117.except.1.* Quæ qua ratione elidatur non video. Itaque pro filia ultimo morientis contra Mæuium respondendum censeo.

Idem argumentum sed in contrarium tractat, *Decius conf.15.* ubi argumenta contrariæ voluntatis colligit, quæ tamen infirmantur hac ratione, quod non sit verisimile testatorem nepti suæ extraneum præferre voluisse.

VII. Stante statuto quo mater à successione filij per adgnatos excluditur: queritur an etiam à tutela filij excludatur?

D I S P U T A T I O.

Mater intentionem suam fundatam habet in iure communi, quo matri tutelam filiorum gerere permittitur: de quo, *M.I.R.lib.3.cap.12.reg.15.exception.1.* Cuius exceptio videtur, nisi mater ab hæreditate filii statuto per adgnatos excludatur. Quæ exceptio reprobatu hac ratione quod statuta ad correctionem iuris communis non

non extendantur, nisi in expresso, *M.I.R. lib.1.cap.1.reg.5.except.1.& reg.12.* Itaque in casu proposito pro matre est respondendum.

Idem argumentum tractat, *Dec. cons.16.*

VIII. Titius instituto heredem Scio filio domum suam prohibuit extra familiam alienari. Queritur si Scius filius moriatur relicta matre heredem ab intestato, an ij, qui sunt de familia testatoris domum à matre Scij possint reuocare in familiam.

DISPUTATIO.

Actores intentionem suam fundant in iure, quo res extra familiam alienari prohibita potest ab iis, qui sunt de familia testatoris reuocari: de quo, *M.I.R. lib.4. cap.10. reg.81.* Cuius exceptio est, nisi res per vniuersitatem ad extraneum transeat. Quæ exceptio propositæ causæ inest: cum mater Scii non sit de familia testatoris, sed extranea. Verum de iure huius exceptionis controuersia est *d.reg.81.except.3.* Itaque cum exceptio sit controuersa, non est admitenda, sed pro actoribus respondendum.

Idem argumentum tractat, *Dec. cons.23.*

IX. Cum Titius locuples decessisset relicta tribus liberis & Berta uxore inopi: Queritur si post

post mortem mariti Berta ex successione cognatorum defunctorum locuples sit facta, an nihilominus quartam hereditatis partem ex bonis mariti defuncti petere possit?

D I S P U T A T I O.

Berta intentionem suam fundat in iure, quo vxor inops locupleti marito succedit in quartam hereditatis partem : de quo, *M. I. R. lib. 4. cap. 6. reg. 10. cum. seq.* Cuius exceptio videtur, nisi vxor post successionem aliunde locuples sit facta. Quæ exceptio propositæ causæ inest, sed nullo iure approbatur, *d. reg. 10. except. 1. repl. 2. duplic. 1.* Itaque pro Berta in casu proposito est respondendum.

Idem argumentum tractat, *Decius cons. 24.*

X. Mauius reus in iudicio comparuit, sed iuramentum calumnia prestare noluit, nec positionibus actoris respondere. Ideo condemnatur tanquam cõtumax. Queritur an ab ista sententia possit appellare?

D I S P U T A T I O.

Appellatus contra appellationem excipiendo intentionem suam fundat in iure, quo contumax appellare prohibetur : de quo,

quo, *M.I.R.lib.2.cap.17.reg.1.except.35.* Cuius exceptio est, nisi contumacia fuerit in non agendo, non in non comparando. Quæ exceptio approbatur *d.except.35.repl.5.* Et propositæ causæ inest, nec aliqua distinctione, quæ causæ insit, eliditur. Itaque pro Mæuio appellante respondendum quod appellatio ipsius sit admittenda.

Idem argumentum tractat, *Decius consil.34.*

XI. Titius habens immunitatem non soluendi vectigalis, de vino suo, quod illi nascitur in territorio Principis N. vendit illud vinum Mæuio, qui vinum illud vult è territorio transportare. Queritur an Mæuius emptor immunis sit soluat vectigal?

D I S P U T A T I O.

Princeps fundatam habet intentionem in iure, quo extrahentes vinum vectigal soluere tenentur: de quo *M.I.R.lib.3.cap.10.reg.36.* Cuius exceptio est, nisi is, qui extrahere vult, vinum ab eo emerit, qui immunis est. *d.reg.36.except.2.* Quæ exceptio propositæ causæ inest, nec qua replicatione elidatur animaduerto. Itaque pro Mæuio respondendum esse censeo.

Idem

Idem argumentum tractat, *Decius*
cons. 48.

XII. *Cum inter Mæuium actorem & Scium lis esset, Mæuius actor bis succubuit, & bis appellauit, tandem in tertia instantia obtinuit pro se sententiam, à qua Scius appellat. Queritur an hæc tertia appellatio sit permittenda?*

D I S P U T A T I O.

Mæuius actor contra appellationem Scii intentionem suam fundat in iure, quò tertio appellare prohibitum est: de quo, *M. I. R. lib. 2. cap. 17. reg. 1. exc. 30.* Cuius exceptio est, nisi appellatus antea bis appellasset, nò appellans. *d. except. 30. repl. 2.* Quæ exceptio propositæ causæ inest, nec aliqua replicatione potest elidi. Itaque pro Scio appellante censeo respondendum esse.

Idem argumentum tractat, *Decius*
cons. 49.

XIII. *Stante statuto quæ extantibus masculis filia à successione parentum excluditur: Mæuius habens filium naturalem, & filiam legitimam, naturale filium fecit rescripto principis legitimari, & moritur. Queritur an hic filius legitimatus filiã à successione patris excludat?*

D I S P U T A T I O.

Filius hic legitimatus intentionem
suam

suam fundat in statuto loci, quo extantibus masculis filia à successione excluduntur: de quo *M.I.R. lib. 4. c. 6. reg. 2. exc. 4. dist. 1.* Cuius exceptio est, nisi filius qui extat naturalis sit, non legitimus *d. dist. 1. repl. 7.* Quæ exceptio causæ propositæ inest. Sed replicando obiicitur, nisi naturalis sit legitimus. Quæ tamen replicatio controuertitur, *d. repl. 7. dupl. 1.* Ideoque cum sit controuersa non est admittenda. Pro filia itaque in casu proposito est respondendū. Contrarium tamen videtur dicendum in legitimo per subsequens matrimonium *Decius conf. 155. in fin. de quo 1. responso 26.*

Idem argumentum tractat, *Decius. consilio 52.*

XIIII. Titius & Seius post mortem patris in communiōe omnium bonorum manserunt nulla ratione reddita. Queritur si Titius mortua uxore vi statuti dotem lucratur, an illa cum fratre sit communicanda?

D I S P U T A T I O.

Titius intentionem suam fundat in iure, quo dos quam maritus ex morte vxoris lucratur, cohæredi non est conferenda: de quo *M.I.R. lib. 4. cap. 7. reg. 13. exception. 6.*

Cuius

Cuius exceptio est, nisi tacita societas omnium bonorum inter fratres sit contracta, *M.I.R. lib. 5. cap. 6. reg. 87. except. 1.* Quæ exceptio propositæ causæ inest, nec aliqua replicatione potest elidi. Itaq; dicendum dotem esse communicandam.

Idem argumentum tractat, *Decius conf. 66.*

XV: Mauius habens tres filios Titium, Sesium & Sempronium, Titio filio uxorem dedit, sed ipso pater onera matrimonii sustinuit quemadmodum & dotem nurus recepit. Mortua uxore Titius dotem ex statuto lucratur satis amplum, & aliam duxit uxorem, ex qua illi filius Caius genitus est. Mortuo Mauiio, & postea etiam Titio, qui cum fratribus in communionem hereditatis paternæ manserat, Caius Titij filius in diuisione hereditatis à patris petit dotem, quam pater suus Titius ex prima uxore lucratus erat. Queritur, quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Caius intentionem suam fundat in iure, quo pater in peculio aduenticio filii nõ nisi vsum fructum habet: de quo *M.I.R. lib. 3. cap. 11. reg. 20.* in mutatione iuris. Ergo Mauium auum suum non nisi vsum fructum in dote, quam pater Titius lucratus fuit,

fuit, habuisse. Excipiunt patrum si Mæuius auus non sustinisset onera matrimonii ipsius Titii filii. Quæ exceptio nulla speciali lege approbatur, & si velimus ex regula argumentari. Quod eius sit commodum, qui onus sustinet: Mæuius fructus dotis & sic commodum habuit, quod in usufructu consistit, qui patri in aduenticiis bonis filii debetur. Itaque cum exceptio proposita nullo iure approbata reperitur, puto pro Caio esse respondendum:

Idem argumentum sed in contrarium tractat, *Decius cons. 67.*

XVI. Cum Iacobo & Petro fratribus communis esset hereditas paterna & materna Iacobus suam partem vendidit Petro fratri. Postea Petrus in testamento legauit fratri suo Iacobo omnem partem sibi obuentam seu contingentem ex hereditate tam paterna quam materna. Quæritur utrum in hoc legato contineatur pars tantum, quæ Petro ex hereditate paterna & materna obtigit, an etiam ea pars, quam Iacobus ei vendidit?

D I S P U T A T I O.

Non de iure, sed de facto dubitatur in hoc casu quid senserit testator. Facti autem quæstio etiam prudentissimos fallit, *l. 2. ff.*

de iuris & facti ignorantia. Ideo Iurisperiti de facto non solent respondere: nisi quod interdum argumentis ponderatis respondere solent quid magis sit præsumendum: Sic in casu proposito præsumitur contra legatarium, qui intentionem suam fundat in quæstione proposta, idque eo magis quod in dubio id quod minimum est sequamur, & testator præsumitur quod minus hæredem grauare voluerit, *M.I.R. lib. 4. cap. 9. reg. 123.* Nisi itaque Iacobus probauerit testatorem de tota hæreditate sensisse, contra eum erit respondendum.

Idem argumentum sed in contrarium tractat *Decius cons. 69.*

XVII. Titius cum de domo, quam à Seio emerat, controuersiam sustineret à Mauio, condemnatus in iudicio nõ appellauit; sed sententiã in re iudicatã trãsire passus est. Queritur an Seius venditorem ratione euictionis conuenire possit?

D I S P U T A T I O.

Titius intentionem suam fundat in iure, quo re empta euicta emptor aduersus veditorem de euictione habet regressum: de quo *M.I.R. lib. 5. c. 6. reg. 40.* Cuius exceptio est, nisi emptor in iudicio victus nõ appellauit *d. reg. 40. exc. 17.* Quæ exceptio proposta

lita

fitæ causæ inest, nec aliqua replic. potest e-
 lli. Itaq; dicendum Tit. emptori aduersus
 Seium venditorē actionē esse denegandā.

Idem argumentum tractat, *Dec. cons. 74.*

*XVIII. Mauius Titio, Seio & Sempr. ha-
 redib. institutis eos si sine liberis decederent gra-
 uauit suum patrimonium coharedibus suis resti-
 tuere. Decessit sine liberis Titius, cuius portio re-
 stituitur Seio & Sempr. Moritur etiā Seius cuius
 portio ex institutione acquisita restituitur. Semi-
 pronio superstiti. Sed haredes Sej recusant Sem-
 pronio restituere eam partem, quam Seius à Ti-
 tio adquisiuit. Queritur quid iuris?*

DISPUTATIO.

Hæredes Seii intentionem suam fun-
 dant in verbis testamenti quibus alter al-
 teri suam portionē restituere iussus est, in
 quib nulla fiat mentio portionis postea ex
 fideicommissio ad crescentis, sed quia por-
 tio ad crescens rei nō personæ ad crescit. *M.
 J. R. lib. 4. c. 10. reg. 21. vbi id probatur ex Co-
 mez. lib. 1. resol. c. 5. n. 19.* Ideo dicendam v-
 tranq; portionem Sempr. esse restituendā.

Idem argumentum tractat. *Dec. cons. 80.*

*XIX. Titius in testamento Sej, qui testamen-
 tum facere non potuit hares institutus petit se
 mitti in possessionē hereditatis, cui contradicitur*

*ab heredē ab intestato Manio possessore.
Quæritur quid iuris?*

D I S P U T A T I O.

Titius intentionem suam fundat *in leg. fin. C. de edicto diui Hadriani toll. de quo M. I. R. lib. 4. cap. 8. reg. 59.* Cui à Mæuio opponitur exceptio, quod Seius vsurarius fuerit, qui non potuerit facere testamentum, *M. I. R. lib. 4. cap. 2. reg. 21. except. 16.* Replicatur quod hoc sit vitium testamenti inuisibile, quod à iudice hoc casu non sit attendendum *d. l. fin.* Quæ replicatio nulla duplicatione potest elidi. Ideoque pro Titio actore censeo respondendum.

Simile argumentum tractat, *Decius consil. 84.*

l. XX. Seius cum deberet Titio decem ea soluit Mæuio procuratori Sempronii: quam solutionem Titius ratam non habet. Vnde Seio indebiti condictio competit. Quæritur utrum aduersus Sempronium, an aduersus procuratorem eius competat?

D I S P U T A T I O.

Seius intentionem suam fundat in iure, quo dominus, non procurator condictione indebiti tenetur: de quo *M. I. C. lib. 25. ca. 6. quest. 4. except. 4.* Cuius exceptio est, nisi

nisi dominus neque mandauerit, neque ratam habuerit solutionem: tunc enim procuratori condicatur *dict. except. 4. repl. 1.* Cui quid obstet non video. Itaque pro Sempronio censeo respondendum.

Idem argumentum tractat *Decius consil. 98.*

XXI. Titius cum Mantua studiorum causa peregrinaretur, à Mauius eius loci eius centum sub usuris mutuo accepit: quod nomen Mauius postea Sempronio Titii conterraneo vendidit accessit cum autem Sempronius aduersus Titium ex ipsius chirographo, & cessione sibi facta ageret, Titius exceptione S. C. Macedonianise defendit, & ab actione instituta absoluitur. Quæritur an Sempronio aduersus Mauium cedentem regressus sit dandus?

D I S P U T A T I O .

Sempronius intentionem suam fundat in iure, quo actione vendita venditor emptori tenetur, si nomen veditum venditoris debitor non sit, vel exceptione defendi possit: de quo *M. I. R. lib. 18. ca. 7. quest. 1. causa 2.* Excipit Mauius reus denunciationem litis sibi factam non esse *M. I. C. d. lib. 18. cap. 14. q. 1. except. 68.* & *M. I. R. lib. 5. cap. 6. reg. 40. except. 20.* Quam exceptionem a-

Et or elidit replicando quod venditor ab-
fuerit. Ideoque ei denunciari non potuisse
M. I. C. d. except. 68. Quæ replicatio propositæ
causæ inest: cum lis acta sit in Germania, &
Mæuius Mantuæ vixerit, qua duplicatione
replicatio hæc elidi queat non video. Itaq;
pro actore Sempronio censeo esse respon-
dendum.

Idem argumentum tractat, *Decius con-
sil. 102.*

*XXII. Titius agit aduersus Mæuium de
pradio N. cumque Mæuius abesset, Titius in pos-
sessionem prædij mittitur ex primo decreto, cū-
que Mæuius intra annum non esset reuersus,
mittitur Titius ex secundo decreto, postea Mæ-
uius reuersus sententiam nullam dicit: qua
nullitatis causa pendente Titius colonum Mæuij
è prædio expellit. Mæuius attentatum reuocat.
Queritur quid iuris?*

D I S P U T A T I O.

Mæuius intentionem suam fundatam
habet in iure quo lite pendente attentata
ante omnia sunt reuocanda, de quo *M. I. R.
lib. 2. cap. 1. q. 12. reg. 2.* Cuius exceptio est, ni-
si is, qui attentasse dicitur, sit in rei posses-
sione: hoc enim casu magis suam possessi-
onem

onem defendere, quam aliquid attentare dicitur. Quæ exceptio propositæ causæ inest, siquidem missus ex secundo decreto possessor efficitur, *M. F. R. libr. 3. cap. 15. reg. 18. except. 5. repl. 1.* Sed huic obstat replicatio hæc, nisi absens per colonum retinuerit naturalem possessionem: hoc enim casu colonus pendente lite expulso dicitur de sua possessione deiici. Ideoque attentatum reuocandum, *M. I. C. lib. 7. cap. 16. causa 18.* Cui replicationi quid obstet non video. Itaque pro Mævio respondendum esse cenleo.

Idem argumentum tractat *Decius consil. 103.*

XXIII. Titius cum Seio centum deberet atque prædium suum ei pignori obligasset, prædium illud postea Mævio vendidit, eumque pro dimidia parte heredem instituit, Sempronio ei cohærede dato. Postea mortuo Titio Seius hypothecariæ aduersus Mævium agit. Queritur an Mævius non aliter ei sit condemnandus, nisi cessione actionum, quas Seius habet, sibi facta?

DISPUTATIO.

Mævius intentionem suam fundatam

Z 4

habet

habet in iure, quo possessor soluens ratione rei, quã possidet, impetrat vt actor, cui soluit, actiones sibi cedat, quas eius debiti nomine habet: de quo, *M.I.C. lib.24. cap.6. quest.2. reg.4.* Excipitur à Seio actore, nisi actiones cedendæ aduersus ipsum actorem institui possent. Quæ exceptio nulla speciali lege approbatur, nec quomodo propositæ causæ insit animaduerto. Itaq; pro Mæuio respondendum esse censeo.

Idem argumentum tractat, *Decius consil.104.*

XXIIII. Cum Titius pro Seio apud Sempronium in quinquaginta fideiussisset, Sempronius creditor priorem contractum nouat, postea aduersus Seium de quinquaginta sibi soluendis agit & succumbit. Queritur an aduersus Titium tanquam fideiussorem actio illi sit danda?

D I S P U T A T I O.

Titius conuentus intentionem suam fundat in exceptione nouationis cum debitore facta, & in exceptione rei iudicatæ: de quarum priore agitur *M.I.R. lib.5. cap.9. reg.5. except.17. & cap.12. reg.10.* de posteriore agitur *M.I.R. d. cap.12. reg.14.* Sempronius actor replicando priorem exceptionem negat, eaque à Titio probatur contra poste-

posteriorem exceptionem replicat actor, & sententia à iudice incompetente lata sit; Ergo nulla. Cui duplicatio obiicitur quod eadem exceptio in competentia in processu causæ obiecta sit, sed iudex ea reiecta ad vltiora processerit, nec ab eo fuerit appellatum. Quæ duplicatio approbatur, *M.I.R. lib. 5. cap. 11. reg. 4. repl. 10.* Nec qua ratione elidi possit animaduerto. Itaque pro Titio reo censeo esse respondendum,

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 107.*

XXV. Maius testamento facto Seium filium heredem instituit, eique Caium substituit sub hac conditione si Seius sine filio legitimo & ex legitimo matrimonio nato decesserit. Postea Seius in uxorem duxit Bertam ad finem suam, quam uxorem de iure habere non potuit. Quaeritur si vterque tam Seius quam Berta vitium ignorauerit, & filium Titium procreauerint, an hic filius substitutum excludat?

DISPUTATIO,

Titius intentionem suam fundatam habet in iure, quo conditio hæc, si sine liberis decesserit, deficit si decessit filio relicto: de quo, *M.I.R. lib. 4. cap. 10. reg. 50.* Cuius exceptio est, nisi filius ex illegitimo mat-

matrimonio natus sit. Quæ exceptio subsistit ex verbis testamenti argumento à contrario sensu sumpto, & causæ propositæ inest: siquidem inter adfines nō subsistit matrimonium *M.I.R. lib. 3. c. 8. reg. 21. exc. 2.* Sed eliditur replic. hac, nisi per ignorantiam iniustæ nuptiæ sint contractæ, *M.I.R. d. c. 8. reg. 17. exc. 1.* Quæ & ipsa replicatio propositæ causæ inest: nec aliqua duplicatione potest elidi. Itaque pro Titio respondendum esse censeo.

Idem argumentum tractat, *Decisus consil. 154.*

XXVI. Retento casu precedente, quo Caius substitutus est, si institutus sine filio legitimo & ex legitimo matrimonio nato decesserit: Queritur si institutus ex concubina filium habuerit, eamq; postea in uxorem duxerit: an filius is substitutum excludat?

D I S P U T A T I O.

Filii intentio fundata est in iure, de quo supra. Cuius eadem exceptio est quæ supra dicta est. Verum eliditur replic. hac, nisi filius per subsequens matrimonium sit legitimatus: hic enim per omnia legitimis æquiparatur *M.I.R. lib. 3. cap. 11. reg. 32.* Secundum quam replicationem puto in casu
pro-

proposito respondendum. Quanquam videtur quodammodo repugnare *supra responsum* 13.

Idem argumentum tractat *Decius consil. 155.*

XXVII. Sempronius coram septem testibus suum fecit testamentum, illudq; voluit confici per publicam personam in instrumentum. Antequam autem illud instrumentum perficeretur moritur. Queritur an testamentum illud valeat tanquam nuncupatiuum?

D I S P U T A T I O.

Hæres scriptus intentionem suam fundatam habet in iure, quo in dubio pro testamento præsumitur: de quo, *M. I. R. lib. 4. cap. 2. reg. 21. in prin.* Cuius exceptio est, nisi cum voluisset testator in scriptis testari, mortuus sit ante scripturam perfectam. *d. reg. 21. except. 49.* Quæ exceptio propositæ causæ inest, sed eliditur replicat. hac quod quamuis non valeat testamentū vt in scriptis factum, valeat tamen vt nuncupatiuum *d. exc. 49. repl. 2.* Verum replicatio distinguitur, nisi constet testatorē in scriptis, & non aliter testari voluisse *Iul. Clar. in §. testament. q. 4. v. 2.* Quæ distinctio propositæ causæ inest, & sic dicta repl. duplicando eliditur. Quæ dupli-

duplicatio nulla vltiori distinctione potest elidi. Itaque dicendum testamentum, de quo quæritur, nec vt nuncupatium sustineri posse.

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 159.*

XXVIII. Titius de domo sua Seio soluit annum censum unius aurei, quem in tribus annis non soluit. Queritur an domus in commissum ceciderit?

D I S P U T A T I O.

Seius intentionem suam fundat in iure, quo per triennium non soluto canone emphyteusis in commissum incidit: de quo *M.I.R. lib. 5. cap. 7. reg. 27.* Cuius exceptio est in censualista, qui propriè non est emphyteuta, nec dicta pœna caducitatis ab emphyteusi ad censum est extendenda *d. reg. 27. except. 9.* Quæ exceptio propositæ causæ inest, nec aliqua replicatione potest elidi. Itaque pro Titio contra Seium in casu proposito est respondendum.

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 164.*

XXIX. Caius cum haberet filium unicum sed naturalem, fecit illum legitimari. Queritur an hic filius legitimatus mortuo Caio in emphyteusis

phyteus in ecclesiasticam, quam Caius reliquit, succedat?

DISPUTATIO.

Filius intentionem suam fundat in iure, quo emphyteusis ecclesiastica transit ad liberos: de quo, *M.I.R. lib. 5. cap. 7. reg. 18.* Cuius exceptio est, nisi liberi sint naturales. *d. reg. 18. except. 3.* Quæ exceptio propositæ causæ inest, sed eius replicatio est, nisi liberi sint legitimati *d. except. 3. repl. 1.* Quæ replicatio ipso iure & facto subsistit, nec aliqua duplicatione potest elidi. Ideoque pro filio est respondendum.

Idem argumentum sed in contrarium tractat *Decius cons. 171.* ubi à Carolo Molinæo refutatur.

XXX. Titius Seium in testamento filiis suis tutorem dedit, & liberationem ei legavit ab omni debito, in quod ratione administrationis tutela esset condemnandus. Seius Inuentarium rerum pupillarium non confecit, nec librum rationum conscripsit, nec pecuniam pupillarem in emptionem prediorum collocavit. Pupilli puberes facti actionem tutela aduersus eum instituerunt, & ad iusiurandum in litem se offerunt. Queritur quid iuris?

DIS-

DISPUTATIO.

Scius excipiendo intentionem suam fundat in liberatione à testatore sibi legata: de qua, *M.I.C. lib. 14. cap. 9. quest. 1. in prin.* Cuius replicatio est in iis, quæ dolo in administranda tutela commissa sunt: in his enim liberatio legata non prodest *d. cap. 9. qu. 4. reg. 7.* Quæ replicatio propositæ causæ inest, siquidem non caret dolo, qui ea non præstat, quæ ex officio præstare necesse habet: vt inventarium conficere, &c. Sed huic obiicitur duplicatio hæc, nisi dolus non in committendo, sed in non faciendo consistat: hic enim remitti potest. Hanc duplicationem probat *Dec. cons. 178.* Sed quia speciali lege destituitur mihi satis non fecit. Ideoque istam duplicationem non puto esse admittendam.

Idem argumentum tractat, *Decius d. cons. 178.*

XXXI. *Caius Manio vendit duo vasa vini, aliquot amphorarum & antequam vinum Meuso admetitur, is Cajo fidem habens de mēsurā vini quam indicasset, vinum traditum accepit: mox irruentibus hostibus vinum ab eis assumitur. Queritur cuius sit periculum vel in-
cursum odum?*

Dis-

D I S P V T A T I O.

Mæuius intentionem suam fundat in iure, quo ea, quæ pondere numero vel mē-
sura constant, si vendita sunt, periculo
sunt venditoris antequam adpensa, ad-
mensa vel annumerata sint: de quo *M.I.C.*
lib.18.ca.2.exc.7. Cuius exceptio est, nisi em-
ptori tradita sint nondum adpensa, ad-
mensa vel annumerata: tunc enim quia
per traditionem dominium in emptorem
transfertur, simul etiam periculum ad eū
transit: cum periculum & damnum sem-
per dominum sequatur, *M.I.C.lib.22.ca.10.*
reg.2. Quæ exceptio propositæ causæ inest,
nec qua replicatione elidi possit video. Id-
eoque respondeo periculum vini perditū
ad Mæuium emptorem pertinere.

Idem argumentum tractat, *Decius con-
sil.179.*

*XXXII. Titius filios suos masculos here-
des instituit, eosque inuicem substituit, & filias
voluit dotari, item prohibuit domum suam
alienari, sed eam voluit permanere apud fili-
os, & filiorum filios hac pœna adiecta quod si
fuerit alienata, statim voluit eam perueni-
re ad collegium N. Mæuius ultimus ne-
potum testatoris carens filiis alienauit domum*

in proprias filias, quæ eam vendiderunt Septio extraxeo. Queritur an collegium N. ad fidei commissi petitionem admitti debeat?

D I S P U T A T I O.

Collegium N. intentionem suam fundat in testamento Titii. Cui opponitur exceptio hæc, nisi tempore alienationis nemo de familia testatoris superfit. De iure huius exceptionis quæstio est, an si nemo de familia testatoris, ob quam alienatio prohibita est, superfit, pœna prohibitiæ alienationis cesset? Quod videtur dicendum. Quia cessante ratione legis vel alterius dispositionis ipsa dispositio cessat *lib. 2. Dialectica mea cap. à ratione legis reg. 2.* Itaque contra collegium respondendum esse censeo.

Idem argumentum sed in contrarium tractat *Decius cons. 182.* prætextu voluntatis testatoris, de qua tamen voluntate non constat.

XXXIII. Manius, eiusque vxor habentes duos filios & unam filiam faciunt pactum ne uni liberorum plus quam alteri darent. Moritur Manius Berta in elocatione filia dat ei centum in dotem, cuiuslibet autem è filiis nõ nisi sexaginta

ginta in donationem propter nuptias, ea quæ in testamento suo confirmavit. Queritur quid iuris sit.

D I S P U T A T I O.

Filii petentes donationes propter nuptias doti sororis æquari intentionē suam fundant in pacto parentum, pro quo est præsumptio quod valeat *l. i. in prin. ff. de pactis*. Cui obiicitur exceptio hæc, nisi mater istam inæqualitatem testamento suo confirmasset: Nam contractus per se nullus testamento confirmatur exemplo, *M. I. C. lib. 12. cap. 5. except. 55. repl. 7.* nec vis pacti se extendit ad ultimas voluntates, ne facultas testandi restringatur: Huic exceptioni quid obstet non video. Itaque respondeo dictam inæqualitatem infringi non posse.

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 184.*

XXXVIII. Titius feudo, quod à Seio recognoscebat, renunciat, ob id Seius de eodem feudo Mauium inuestit mortuo Titio filius eius Caius hereditatem Titij confecto inventario adit, & feudum à Mauiio repetit. Queritur, quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Caius intentionem suam fundat in iure, quo liberi parentibus in feuda succedunt: de quo *M. I. F. cap. 4. question. 2. reg. 2.*

Cui obiicitur exceptio hæc, nisi Titius pater feudo renunciaffet: *d. reg. 2. except. 19.* Ex quo loco patet hanc exceptionem esse cōtrouersam. Est tamen pro ea præsumptio: quia filius hæres cogitur ratum habere factum defuncti *M. I. R. lib. 3. cap. 13. reg. 24. except. 1. repl. 2.* Itaque exceptio proposita approbatur, *M. I. F. cap. 5. q. 1. causa 37. except. 25. repl. 1. dupl. 11.* Eius replicatio est, nisi filius confecto inuentario hæreditatem adierit; *d. dupl. 11. dist. 1.* Quæ replicatio propositæ causæ inest: nec aliqua duplicatione potest elidi. Itaque pro Caio actore est respondendum.

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 185.*

XXXV. Titius hæres instituit duos nepotes ex Seio fratre in una dimidia hereditatis, & alios quatuor nepotes ex Caio altero fratre in alia dimidia, eosq; inuicem substituit ita quod quandocunq; contingat aliquem vel aliquos ex filiis dicti Seij vel ex eorum descendensibus, vel descendensium descendensibus decedere sine filiis masculis, & eodem modo de filiis & descendensium descendensibus ex dicto Caio, quod superuiuens ad superuiuentes tam ex filiis supra scripti quondam Seij, quam ex filiis quon-
dano

*dam Caij ex iis descendentes succedant prae-
cedenti aqvis portionibus per capita. Mortuo testa-
tore & adita ab omnibus institutis hereditate,
moritur vnus ex filiis Caij sine liberis. Quari-
tur verum ipsius portio omnibus aequaliter ad-
crescat tam Seij quam Caij filiis, an fratribus su-
is tantum?*

D I S P U T A T I O.

Filii Seii intentionem suam fundant in iure, quo vno ex hæredibus institutis deficiente portio eius omnibus cohæredibus æqualiter ad crescit: de quo, *M. I. R. lib. 4. cap. 5. reg. 28.* Quod ius etiam ad substitutionem extendunt. Verum eius exceptio est, nisi alii coniunctim, alii disiunctim hæredes instituti sint: tunc enim vno ex coniunctis deficiente portio eius aliis coniunctis, non disiunctis ad crescit, *dict. reg. 28. exception 3.* Quæ exceptio propositæ causæ inest: siquidem filii Seii ex vna dimidia, & filii Caii ex altera dimidia hæredes instituti sunt. Itaque dicendum portionem defuncti ad fratres tantum, non etiam ad Seii filios ex substitutione pertinere.

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 186.*

XXXVI. Caius habens aream in quam ex vicini adibus fenestra erant, paciscitur cum vicino ut sibi liceret maceriem ducere, qua aream concluderet, & adiicitur pacto ne lumina vicini obscurerentur. Postea macerie non ducta Caius vendit aream Seio, qui in ea aedificium ponit, quo lumina vicini obscurantur. Negat vicinus illi ius esse aedificiũ altius tollere. Queritur quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Seius intentionem suam fundat in iure, quo cuilibet in suo altius ædificare licet, & luminibus vicini officere: de quo *M. I. R. lib. 3. cap. 18. reg. 13. except. 1.* Cuius exceptio est, nisi vicino seruitus debeatur altius non tollendi *d. reg. 13. in prin.* Quæ exceptio propositæ causæ inest: cum Caius, à quo Seius aream emit vicino pactum fecerit de luminibus non obscurandis. Replicat actor Seius illud pactum esse factum occasione maceriei ducendæ, quæ postea ducta non sit. De iure huius replicationis dubitatur utrum pactum alterius rei causa factum in alia causa proffit? Quo casu distinguendum inter causam impulsivam & finalem, ut

priorē

priore casu proſit, in poſteriore non proſit: de qua re vide *lib. 2. Dialectica me a cap. a cauſa efficiente reg. 6. except. 2. & cap. a ratione legis reg. 12. except. 1.* Atque ſi cauſa materiei dicendæ fuerit cauſa impulſiua pacti ne luminibus officiatur, dicendum pactum illud vicino prodeſſe, aliàs ſecus.

Idem argumentum tractat, *Decius conſil. 201.*

XXXVII. Stephanus duos filios aequaliter heredes inſtituit, & inuicem ſubſtituit. Alter moritur relictis Caio filio, & Claudia filia. Caius autem deceſſit relictis Ludouico & Gulielmo pro nepotibus teſtatoris. Poſtea deceſſit alter filius teſtatoris ſine liberis. Quaritur an Claudia neptis excludat in ſucceſſione defuncti patruſi duos pro nepotes?

DISPUTATIO.

Claudia intentionem ſuam fundat in iure, quo ius repræſentationis in fidei-
comiſſis & ſubſtitutionibus locum non habet: de quo, *M. F. R. lib. 4. cap. 10. reg. 82. except. 1. repl. 1.* Verum præterquam quod hoc ius in dict. loco controuerſum apparet, etiam exceptionem recipit hanc, niſi de hæreditate aui & proaui agatur, nõ alicuius tranſuerſalis: hoc enim caſu quemadmodum

ab intestato, sic etiam ex testamento iuri repræsentationis locus est, *d. repl. 1.* Quæ exceptio propositæ causæ inest: cum agatur ex testamento Stephani aui & proavi. Itaque secundum hanc exceptionem puto contra Claudiam esse respondendum.

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 217.*

XXXVIII. Franciscus heredes instituit Federicum, Bernardinum & Rolandum filios suos, eosque inuicem substituit, si aliquem ex iis sine filiis masculis decedere contingeret, filiabus & aliis feminis ab hereditate exclusis. Mortuo testatore decessit Federicus relicto filio Mauro, qui habuit unicam filiam Dorotheam, qua nupsit Seio. Hanc Mauius pater heredem instituit, & si non possit in talibus bonis succedere, instituit Seium generum & moritur. Bernardinus & Rolandus ex substitutione petunt bona paterna, qua ad Federicum fratrem pervenerunt. Queritur quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Actores intentionem suam fundant in substitutione à patre facta, de qua constat. Excipitur, nisi conditio substitutionis defecisset. At ea defecit, cum Federicus fra-

ter relicto filio masculino nempe Mævio decesserit. Replicatur sed Mævium postea sine filiis masculis decessisse, & sic in eius persona conditionem substitutionis extitisse. De iure huius replicationis quæstio est, an conditio substitutionis in persona filii adiecta etiam in persona nepotis censeatur repetita, seu sic extendenda? Negativa præsumitur ex iis, quæ habentur, *M. I. C. lib. 14. c. 1. q. 3. exc. 3. & 7.* Itaq; contra actores respondendum esse censeo.

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 218.*

XXXIX. Titius quartam honorum suorum partem donat Berta sorori suæ absenti notario pro ea stipulante, & constituit se eius nomine possidere. Postea antequam Berta donationem ratificaret, Titius eandem partem donat Annæ nepti ex sorore præsentis ac recipienti, sequæ eius nomine possidere constituit. Quæritur utra donatio valeat?

D I S P U T A T I O.

Berta intentionem suam fundat in iure, quo ei acquiritur dominium, cui res prius tradita fuit: de quo *M. I. R. lib. 3. cap. 13. reg. 18.* At per constitutum res donata Bertæ prius tradita est, *dict. reg. 18. exception. 1.*

Cuius exceptio est, nisi cum absenti donatio facta esset, postea alii sit donatum antequam prior donationem factam ratificauerit, *M. I. R. lib. 4. cap. 11. reg. 10. except. 6. dist. 1.* Ex quo loco exceptio hæc apparet controuersa, est tamen pro ea præsumptio iuris, cum per liberum hominem ignorantem & ratum nondum habenti non adquiratur possessio *M. I. C. lib. 7. cap. 2. reg. 9. except. 1. repl. 3. cum seq.* Ratione itaque huius exceptionis pro secunda donatione contra primam est respondendum.

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 226.*

XL. Titius carens liberis Caium ex fratre nepotem heredem instituit, eique filios suos mascululos vulgariter & per fideicommissum substituit. Quod si Caius & eius filij deficerent omnes & decederent, substituit Mauium. Postea mortuo Titio Caius ei heres extitit, qui tandem moritur nullis natis ex se filiis. Queritur an Mauius ex substitutione succedat?

D I S P U T A T I O.

Mauius intentionem suam fundat in substitutione sibi facta, de qua constat, sed excipitur quod conditio substitutionis defecerit. Ita enim substitutionem esse factam si Caii

si Caii filii deficerent omnes & decederent : At nullum filium Caio natum esse, Ergo decedere non potuisse. Cui obstat replicatio hæc, nisi alia fuerit mens testatoris. At qui substituit sub hac conditione si filii Caii omnes decederent, præsumitur voluisse etiam non natis filiis substitutionem locum esse. *M.I.R. lib. 4. cap. 2. reg. 21. exc. 79. repl. 1. & cap. 10. reg. 42. except. 11.* Itaque pro Mævio erit respondendum.

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 227.*

XL I. Moritur Titius relicta uxore Berta & Caio filio, qui simul cum matre paternas ædes inhabitat. Mater retentionis iure ædes relinquere non vult, nisi dote sibi per soluta Filius negat illi ius retentionis competere, sed actione illi esse experiundum. Queritur quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Mater intentionem suam fundat in iure, quo non solum per actionem dos repeti possit, sed etiam per exceptionem : de quo, *M.I.C. lib. 4. ca. 14. q. 5. reg. ult.* Excipitur à filio, si mater ædes possideret, ut eæ mihi ab ea vendendæ essent, uti posset retentionis iure, sed ego eas possideo, illa autem iure familiaritatis eas inhabitat. Ergo ces-

satius retentionis. Cum autem duo eandem rem in solidum possidere nō possint *M.I.C. lib. 7. c. 15. q. 3. reg. 1.* præsumptio est pro filio, qui hæres patris est, & ædes paternas inhabitat. Itaque mater onera actricis sustinere debet iuxta *l. dotis actione C. soluto matrimonio.*

Idem argumentum tractat *Dec. cons. 232.*

XLII. Manius & Anna coniuges donaverunt dimidiam partem omnium bonorum suorum Caio & Berta coniugibus, & moriuntur Titio hærede relicto. Queritur an actiones hereditariae aduersus donatarios competant?

DISPUTATIO.

Creditorum hereditarii intentionem suam fundant in regula. Ex qua persona *191. ff. de reg. iuris.* Sed ex regula ius non sumitur *l. 1. ff. de test.* & expresse intentio creditorum reprobat *M.I.C. lib. 14. c. 13. q. 5. in fin.* Huius tamen exceptio videtur, nisi hæreditas non sit soluendo, quod tunc aduersus donatarios actio competat. Sed hæc exceptio nulla speciali lege approbatur, nisi quod bona intelligantur deducto ære alieno *M.I.C. lib. 25. c. pen. in verbo Bona.* Quo casu propter æs alienū deducendū eo minus donatarii acquirunt. Itaque ad quæst. propo-

positam negativè respondendum censeo.

Idem argumentum tractat *Dec. cons. 237.*

XLIII. Sempronius Titio prædium donat reservato sibi usufructu dum vixerit, postea idè prædium pignori obligat Seio pro centum. Queritur an contractus pignoris valeat?

DISPUTATIO.

Seius intentionem suam fundat in cōtractu pignoris, ex quo hypothecariam actionem instituit: de quo *M. I. R. l. 5. c. 5. reg. 27.* Cui opponitur exc. hæc, quod Sempr. non suum, sed alienum prædium pignori obligaverit *d. reg. 27. exc. 6.* Quæ exc. propositæ causæ inest: Siquidem Sempr. reservando sibi vsumfructum in prædio donato, per constitutum transtulit dominium in donatariū. *M. I. R. lib. 3. c. 14. reg. 15 & reg. 29. cum seq.* Cui exc. quid obstet non video. Ideoq; contra Seiū cēseo esse respondendū.

Idem argumentum tractat *Decius cons. 239. vers. meminime.*

XLIV. Nauta mulierē projiciunt in mare dicentes se ad hoc à marito eius pecunia conductos. Maritus fatetur se pecuniam nautis dedisse ad uxorem exportandam, non ad interficiendā & aufugit. Queritur an maritus sit torquendus? Dec. negat, ego affirmo. Licet. n. indicium

soçii criminis ad torturam non sufficiat secustamen est dicendum aliis argumentis concurrentibus *M.I.R. lib. 1. cap. 9. reg. 48. except. 10. dist. 2.* At hoc casu concurrat confessio mariti confitentis se pecuniam dedisse item fuga.

Idem argumentum sed in contrarium tractat, *Decius cons. 233.*

XLV. Caius uxori sua Berta donat prædium præstito iuramento se donationem non reuocaturum, mortua uxore Caius prædium illud in testamento suo legat Titio, & moritur. Hæres Berta prædium à Titio vendicat tanquam defunctæ à Caio donatum. Queritur quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Hæres Bertæ intentionem suam fundat in dominio prædii, quod Berta ex donatione Caii mariti sui adquisiuerit. Cuius exceptio est, nisi donataria ante donatorem decessisset *M.I.R. lib. 4. cap. 11. reg. 47. except. 9. repl. 1.* Quæ exceptio propositæ causæ inest. Sed replicando obiicitur, nisi donatio iuramento esset confirmata. De iure huius replicationis dubitatur, an iuramento interueniente donatio inter virum & uxorem non fiat irrita, si donataria ante donatorem decesserit. Quod nulla lege reperitur

peritur approbatum. Imo an donatio inter virum & vxorē iuramento confirmetur valde apud Dd. controuersum est *dict. reg. 47. except. 3.* Ideoq; non attendendum. In casu itaque proposito pro Titio contra actorem est respondendum.

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 240.*

XLVI. Titius testamento factō instituit heredem Iacobum filium suum, eique si sine liberis decederet, substituit Seium, aliisque legata reliquit adiecta clausula codicillari: moritur hæres institutus viuo testatore liberis aliquot relictis. Queritur an virtute clausula codicillaris relicta debeantur à venientibus ab intestato?

DISPUTATIO.

Legatarii intentionem suam fundant in clausula codicillari, qua confirmantur ea, quæ in testamento nullo vel iniusto relicta sunt: de qua, *M.I.R. lib. 4. cap. 3. replicat. II.* Cuius exceptio videtur, nisi ex duplici causa testamentum nullum sit. Quæ exceptio propositæ causæ inest: Nam testamentum nullum est quia hæres institutus ante testatorem decessit, *M.I.C. lib. 9. cap. 17. except. 20.* Deinde quia liberi hæredis instituti eo mortuo in potestatem testatoris reciderint,

derint, & sunt præteriti *M.I.C.d. lib. 9. cap. 12. except. 29.* Verum de iure huius exceptionis dubitatur, quod quia nulla lege reperitur approbatum, dicendum est exceptionem propositam non esse admittendam, sed pro legatariis respondendum.

Idem argumentum tractat *Decius consil. 242.*

XLVII. Titius heredes instituit duos suos filios Seium & Mauium, & uno præmortuente sine liberis masculis superstitem illi substituit. Mortuo testatore filij hereditatem paternam adiuerunt & postea ad diuisionem deuenerunt: præmortuatur Seius sine liberis masculis, prius condito testamenta, in quo filias heredes instituit, relicto Mauius fratre executore. Quæritur an testamentum Seij valeat?

DISPUTATIO.

Regulariter quidem pro testamento præsumitur: cuius exceptio videtur, nisi testator fideicommissio sit grauatus ad hereditatem alteri restituendam *M.I.R. lib. 4. cap. 9. reg. 8.* Cuius replicatio est quoad legitimam, quam hæres ex fideicommissio potest deducere, & de ea testari, *M.I.R. lib. 4. cap. 10. reg. 30. cum seq.* item quoad bona aliunde quam à testatore, à quo grauatus

tus

ius est, adquisita : in his enim grauatius li-
beram testandi facultatem habet *l. cohare-*
di 39. §. cum filia. ibi. nec fideicommissa propria
ff. de vulgari & pupillari substitis : M. I. C. lib. 13.
cap. 4. De eo quod adrogatum ex bonis peruenit.
reg. 1. Itaq; quoad ista bona testamentum
valet:

Idem argumentum tractat, *Decius con-*
sil. 243.

XLVIII. Sempronius habens uxorem
pregnantem & familiam moribundus bona
sua mortis causa donat posthumo nascituro, & in
eius defectum, vel posthumo moriente donat
Petro patri suo presenti & consentienti : post
mortem donatoris posthumus natus moritur.
Quaestio est inter Catharinam viduam & Pe-
trum eius socerum de bonis posthumi.

D I S P U T A T I O.

Catharina mater posthumi intentionē
fundatam habet in iure, quo mater filio
defuncto succedit ab intestato excluso a-
uo paterno : de quo, *M. I. R. libro quar-*
to capitulo sexto. Reg. 6. Excipit Petrus auus,
paternus, nisi pater posthumi per dona-
tionem mortis causa me posthumo sub-
stituiisset. At me illi substituit. Ergo ego ma-
tri ra-

tui ratione substitutionis sum præferendus. Replicatur à matre quod donatio patri à filio familiâs facta non valeat. Quæ replicatio est controuersa *M. I. R. lib. 4. cap. 11. reg. 10, except. 1. repl. 1. dist. 1. dupl. 2.* Ideo non admittenda. Sed & de minore propositione dubitari potest, an donator Sempromius fuerit filius familiâs: cum in multis locis habens vxorem & familiam pro patre familias reputetur. Itaque hac replicatione non obstante pro Petro auo paterno respondendum est, salua tamen matri sua legitima.

Idem argumentum sed in contrarium tractat *Decius cons. 245.*

X L I X: Moritur Titius relicto filio infante, qui etiam postea moritur non adita hereditate paterna. Queritur an eam hereditatem non aditam ad matrem superstitem transmiserit?

D I S P U T A T I O.

Mæuius frater Titii intentionem suam fundat in iure, quo hæres ante aditam hereditatem defunctus eam ad suum hæredem non transmittit: de quo, *M. I. R. lib. 4. cap. 5. reg. 1. except. 1.* Cuius exceptio est, nisi hæres infans ante aditam hereditatem decessit.

decesserit *d. except. i. repl. 4.* Quæ exceptio propositæ causæ inest, nec aliqua replicatione potest elidi. Itaq; pro matre est respondendum.

Idem argumentum tractat, *Decius cons. l. 250.*

L. Titius habens naturalem filium ex concubina Franciscum, item Caium & Seium nepotes naturales, fecit legitimari Franciscum & Caium per rescriptum quod habet clausulam in eo, quod pater voluerit eis relinquere. Franciscum & Caium heredes instituit: Seio autem prædium legavit, quod ei heredes instituti præstare recusant. Quæritur quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Hæredes instituti intentionem suam fundant in iure, quo pater existente sobole legitima naturalibus liberis nihil potest relinquere: de quo *M. I. R. lib. 3. cap. 11. reg. 33.* Cuius exceptio est, nisi legitimi liberi nulli supersint *d. reg. 33. except. 2.* Quæ exceptio propositæ causæ inest. Nam licet aliâs legitimati legitimis æquiparentur, *d. cap. 11. reg. 32.* tamen in exceptione proposita legitimi tantum accipiuntur de iis, qui ex legitimo matrimonio nati sunt, non de legitimatis, qui ipsi naturales nati sunt & sic ad

Bb

alios

alios naturales excludendos sunt inhabiles. Ideoque pro Seio respondendum cenſeo.

Idem argumentum ſed in contrarium tractat. *Dec. conſ. 258. in hoc ſibi contrarius conſil. 264. in fine.*

L. I. Seius filium ſuum Caium heredem inſtituit, eiq; ſi ſine liberis deceſſerit, Mæuium fratrem ſubſtituit, ut bona ſua in familia manerent. Caius poſt mortem patris monaſterium ingreditur, & tandem ſine liberis moritur. Queritur an Mæuius ex ſubſtitutione ſuccedat?

D I S P U T A T I O:

Mæuius intentionem ſuam fundat in ſubſtitutione, qua Caio ſine liberis deſcendenti eſt ſubſtitutus: de qua, *M. I. R. lib. 4. c. 10. reg. 49.* Cuius exceptio eſt, niſi Caius monaſterium eſſet ingreſſus, *d. reg. 49. exc. 1.* Cui obſtat replicatio hæc, niſi ex coniecturis conſtet contraria teſtatoris voluntas, nolentis ſubſtitutum à monaſterio excludi *d. exc. 1. repl. 2.* Quæ repl. pro poſita cauſæ ineſt: ſiquidem teſtator voluit bona ſua in familia manere. Itaq; dicendum non obſtante exceptione pro poſita Mæuium ex ſubſtitutione admittendum eſſe.

Idem argumentum tractat, *Dec. conſ. 259.*

L I I.

LII. Titius cum non esset solvendo, lucrum dotis quod sibi statuto mortua uxore deferri posset, uxori pacto remisit. Quæritur an postea in matrimonio uxore mortua creditores Titij pactum illud rescindere possint, & lucrum dotis ex statuto petere?

DISPUTATIO.

Creditores intentionem suam fundant in iure; quo id quod in fraudem creditorum à debitore gestum est, à creditoribus potest reuocari: de quo *M. I. C. lib. 25. cap. 14.* Cuius exceptio est, nisi cum debitor aliquid acquirere posset; id non adquisiuit, *M. I. C. d. cap. 14. quest. 5. except. generali. 1* Quæ exceptio propositæ causæ inest, nec qua replicatione possit elidi animadverto. Ideoque contra creditores respondeo.

Idem argumentum tractat *Decius consil. 260.*

LIII. Stante statuto quo filia dotata extantibus masculis à successione parentum excluduntur: moritur Caius relicto Seio filio infante & Dorothea filia virgine non dotata. Quæritur si dos virgini non offeratur eaque interim moriatur, antequam nubat, an mater ipsius à successione patris excludatur?

DISPVATIO.

Mater intentionem suam fundat in iure, quo mater defunctæ filiæ ab intestato succedit, & cum filiæ patris hæreditas pro parte dimidia sit delata, eam sibi restitui petit. Excipitur ex statuto loci, quo filiæ extantibus masculis à successione parentum excluduntur: de quo *M.I.R. lib. 4. cap. 6. reg. 2. except. 4.* Cuius replicatio est, nisi filia nõ fuerit dotata *d. except. 4. repl. 17.* Quæ replicatio propositæ causæ inest. Verum duplicando obiicitur, quod antequam nuberet mortua sit. Quæ duplicatio nusquam reperitur approbata, sed nihilominus illi dos offerri debuit vt à patris successione excluderetur. Itaque dicendum hac duplicatione non obstante pro matre respondendum esse.

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 261.*

LIIII. Titius habens filiam naturalem Seiam eam fecit legitimari ad ea, quæ ipse ei reliquerit: seu relinquere voluerit. Postea testamento factõ eam heredem instituit. Tandem mutato testamento aliud fecit, in quo Manium heredem instituit, & filia nullam fecit mentionem.

Qua-

Queritur utrum prius an posterius testamentum valeat?

DISPUTATIO.

Mæuius intentionem suam fundat in iure, quo prius testamentum per posterius tollitur: de quo *M.I.R. lib. 4. cap. 4. except. 16.* Cuius exceptio est, nisi posterius non sit perfectum. *d. except. 16. repl. 1.* Quæ exceptio propositæ causæ inest: siquidem in posteriore testamento filia præterita est: ob id testamentum videtur nullum. Cuius replicatio est, quod filia sit legitimata non simpliciter, sed ad eam, quæ pater ei relinquere voluerit: hæc enim non est vera legitimatio, sed dispensatio. *M.I.R. lib. 3. cap. 11. reg. 26. except. 23.* Ideoque eius præteritio testamentum posterius non facit nullum. Sed & alia propositæ regulæ videtur obstare exceptio scilicet si in posteriore testamento non fiat mentio testamenti prioris. Quæ exceptio admittitur si pater testamentum inter liberos factum reuocauerit *M. I.R. d. except. 16. repl. 12. dist. 3.* Verum exceptio hæc eliditur supra dicta replicatione. Ideoque dicendum posterius testamentum priori derogare.

Idem argumentum tractat, *Decius conf.*
264.

*LV. Berta renunciauit hereditati paterna
& materna sibi delata pro sua virili. Postea mo-
ritur frater hereditate paterna & materna non
adita. Queritur an ex persona fratris defuncti
pro ipsius virili portione possit hereditatem pa-
ternam & maternam petere?*

D I S P U T A T I O.

Berta intentionem suam fundat in iure, quo alicui ex duplici iure delata hereditate vnum repudiando ex altero possit adire: de quo *M. I. R. lib. 4. cap. 6. post. reg. 14. exc. generali 8. repl. 9.* Cuius exceptio est, nisi simpliciter repudiavit contestatione de altero iure non facta *d. repl. 9. dupl. 1.* Quæ exceptio propositæ causæ inest. Sed distinguitur in filio, qui quamuis bonorum possessionem vnde liberi simpliciter repudiavit, tamen bonorum possessionem vnde adgnati agnoscere potest *d. repl. 9. dupl. 1.* Quæ distinctio replicando potest obiici, nec vltius distingui. Ideoque pro Berta respondendum esse censeo.

Idem argumentum sed in contrarium tractat *Decius decis. 266.*

*LVI. Mauus heredem instituit nepotem
suum*

sumo ex filia ita ut cognomē testatoris acciperet. Quod si cognomen capere noluerit, aut non acceperit, tunc ei voluit certum quid dari; & hospitale heredem instituit. Moritur nepos viuo testatore. Hospitale ex substitutione petit hereditatem. Queritur quid iuris?

DISPUTATIO.

Hospitale intentionem suam fundat in substitutione hæredi instituto sibi facta: de qua constat. Excipitur quod conditio substitutionis defecerit: nec enim posse dici nepotem nomē testatoris accipere noluisse, cum ante testatorē mortuus sit. Cuius repl. est, quod conditio voluntatis etiā extendatur ad casum impotentia *M. I. R. li. 4. c. 2. reg. 21. exc. 79. repl. 2.* Quæ repl. propositæ causæ inest. Sed dupl. recipit in pœnalibus, in quibus à casu voluntatis ad casum impotentia nō fit extensio *M. I. R. lib. 1. c. 1. reg. 5. exc. 6.* At hoc casu in pœnam substitutio facta est, si hæres institutus cognomen testatoris accipere nollet. Cui qui obstat non video. Itaque contra hospitale respondendum esse censeo.

Idem argumentum tractat *Dec. cons. 273.*

L VII. Titius instituit uxorem suam heredem vniuersalem in vita sua, & nepotes ex fratre in

*eodem testamento hæredes vniuersales instituit.
Queritur pro qua parte vxor sit hæres?*

D I S P U T A T I O.

Vxor intentionem suam fundatam habet in iure, quo pluribus hæredibus institutis nullis partibus nominatis, si vnus separatim, alii coniunctim sunt instituti: quod tunc vnus dimidiam, & alii alteram dimidiam hæreditatis partem accipiunt: de quo *M. I. R. lib. 4. cap. 5. reg. 19. except. 4.* Cuius exceptio est, nisi alia fuerit mens testatoris. Quæ exceptio ipso iure subsistit, sed de facto eius dubitatur: cuius probatio nepotibus institutis incumbit. Probant autem ex eo, quod vxor tantum ad vitam hæres sit instituta, nepotes autem pure: ex eo enim colligitur quod testator non nisi vsumfructum vxorem habere voluerit, Itaque quasi exceptione satis probata contra vxorem est respondendum.

Idem argumentum tractat *Decius consil. 278.*

LVIII. Titius filium suum hæredem instituit, eique Caium fratrem substituit sub hac conditione si filius sine liberis legitimis decesserit. Filius hæres institutus moritur relicto filio naturali, qui rescripto principis est legitimatus Caius ad.

io ad.

ad legitimatorem non citato. Quaritur an hic legitimatus substitutum excludat?

DISPUTATIO.

Caius intentionem suam fundat in substitutione à Titio sibi facta; de qua cōstat. Sed excipitur, quod conditio substitutionis defecerit. Quæ exceptio propositæ causæ videtur inesse: cum hæres institutus liberis legitimis relictis decesserit, legitimatus autem legitimis æquiparetur *M.I. R. lib. 3. cap. 11. reg. 32.* Sed replicatur, quod Caius substitutus ad legitimatorem non sit citatus *M.I.R. lib. 4. cap. 10. reg. 50. except. 1. dist. 3. repl. 2. dupl. 1.* Quæ replicatio propositæ causæ inest, nec aliqua duplicatione potest elidi. Itaque dicendum substitutum per legitimatum non excludi.

Idem argumentum tractat, *Decius cons. 284.*

LIX, Caius habens liberos naturales & legitimos item Seium spurium ex adulterio natum, cum fecit legitimari, eique prædium in testamento legavit. Quaritur an legatum valeat?

DISPUTATIO.

Liberi naturales & legitimi intentionem suam fundant in iure, quo naturalibus nihil in testamento relinqui potest: de

quo *M.I.R. lib. 3. cap. 11. reg. 33.* Cuius exceptio est, nisi sint legitimated *d. reg. 33. exc. 1.* Replacatur nisi legitimatio facta sit legitimis liberis existentibus, qui in precibus non sunt indicati *d. c. 11. reg. 26. exc. 15.* item replacatur nisi ex prohibito coitu natus sit legitimatus *d. reg. 26. exc. 22.* Quibus replicationibus quid obstet non video. Itaque respondeo legatum, de quo queritur, non valere.

Idem argumentum tractat *Decius cons. 288.*

E X. Titius nepotibus suis legavit 400. florenos, & in codicillis adiecit casu quo dicti nepotes prædium, vel quid aliud à suis hæredibus ultra legatum peterent, quod dictum legatum sit nullum & reuocatum intelligatur, & quod Ecclesia N. adquiratur? Mortuo testatore nepotes prædium petierunt, & obtinuerunt. sed legatum 400. florenorum non acceptarunt. Quæritur an illud Ecclesia N. debeat?

DISPUTATIO.

Ecclesia intentionem suam fundat in translatione legati casu quo nepotes ultra legatum aliquid ab hæredibus peterent. Jam autem illos petiisse etiam prædium & obtinuisse. Cui opponitur ab hæredibus

EXCE-

exceptio hæc, quod translatio legati facta sit sub duabus conditionibus scilicet si nepotes legatum peterent, & ultra illud quid aliud. Primum autem conditionem defecisse: quia legatum non petierunt. Esse autem indubitari iuris si legatum sit sub pluribus conditionibus, illud non deberi, nisi omnibus conditionibus impletis, *M.I.R. lib. 4. cap. 10. reg. 40. except. 6.* Cui exceptioni quid obstet non video. Itaque contra Ecclesiam censeo esse respondendum.

Idem argumentum tractat, *Decius cons. 290.*

LXI. Scius tres nepotes ex duobus fratribus hæredes instituit, & eorum filios masculos natos & nascituros. Quaritur si tres nepotes hæreditatem adeant, an illorum filii cum illis succedant, vel illis demum mortuis admittantur?

DISPUTATIO.

Filii intentionem suam fundatam habent in iure, quo pluribus hæredibus institutis nullis partibus nominatis, ex æquis partibus simul succedant: de quo *M. I. R. lib. 4. cap. 5. reg. 19.* Cuius exceptio est, nisi contraria sit voluntas testatoris: de qua volûtate dubitatur, eiusq; probatio tribus

nepotibus incumbit. Ad eam autem probandam producunt quod testator hæreditatem diuiserit in tres partes vt sunt tres nepotes instituti : Ex quo colligitur quod viuentibus nepotibus de filiis nepotum nullam habuit considerationem. Itaque contra filios respondendum.

Idem argumentum tractat, *Decius. consilio 291. in prin.*

LXII. *Retento casu prædicto queritur vtrum filii nepotum vulgariter, an per fideicommissum sint substituti? Quo casu vulgaris potius quam alia substitutio præsumitur, M. I. R. lib. 4. cap. 2. De substitutione vulgari in tertio proprio. Itaque si instituti hæredes erunt, substitutio filiorum expirat Decius, d. cons. 291. num. 2. cum seqq. Cuius exceptio videtur, nisi clausula codicillariæ testamento sit adiecta. Sed reprobatur d. cons. 291. n. 3. vers. Nec obstat,*

LXIII. *Titius Seio in testamento legat prædium hac pœna adiecta quod si contingeret se legatum reuocare, velit illi inter viuos donatum. Queritur si legatum reuocet, an valeat donatio?*

DISPUTATIO.

Seius intentionem suam fundat in iure, quo

te, quo donatio valere præsumitur: de quo *M. I. R. lib. 4. cap. 11. reg. 10. in prin.* Cuius exceptio videtur, nisi poenæ nomine si legatum reuocetur donatum sit. Quæ exceptio videtur approbari *d. reg. 10. except. 15.* Vbi donatio facta sub hac conditione, si donator testamentum reuocauerit. Verum præterquam quod hæc exceptio (vt ex dicto loco apparet) controuersa est, etiam à testamento vniuersali ad legatum particulare non valet extensio, & quidem in donatione mortis causa voluntati mutandæ voluntatis renunciari potest, *d. cap. 11. reg. 40. except. 9.* ita etiam in legato. Ideoque dicendum donationem, de qua quæritur, valere.

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 293.*

LXIIII. Caius filia sua Lucretia donauit, magnam partem bonorum suorum, retento sibi usufructu: deinde ex istis bonis donauit quadam prædia uxori & moritur. Queritur an utraq; donatio valeat?

DISPUTATIO.

Filia Lucretia intentionem fundatam habet in iure, quo donatio in dubio valere præsumitur *d. reg. 10. in prin.* Cuius exceptio

ptio

prio est, nisi pater filiae, quam in potestate habet donauerit *d. reg. 10. except. 2.* Replacatur quod pater in vita donationem non reuocauerit *d. except. 2. repl. 3.* Exceptis praediis vxori donatis: in his enim priorem donationem reuocauit. Duplicatur, quod traditio à patre facta non sit *d. repl. 3. dupl. 1.* Cuius triplicatio est, nisi pater vsumfructum sibi in bonis retinuerit: nam hoc casu constitutum pro traditione est, *M. I. R. li. 3. cap. 14. reg. 15.* Cui quid obstat non video. Itaque censeo vtranque donationem valere:

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 296.*

LXV. Caius facto testamento Setum filium suum heredem instituit, & Titium fratrem suum executores testamenti dedit, eiq; praedium legauit, quod Titius mortuo testatore propria auctoritate occupauit. Queritur an per hoc legatum amiserit?

DISPUTATIO.

Scius intentionem suam fundat in iure, quo legatarius, qui legatum propria auctoritate occupauit, copriuatur: de quo, *M. I. R. lib. 4. c. 9. reg. 14. exc. 48.* Cuius exceptio est, nisi legatarius sit executor testamenti,

d. ex-

d. except. 48. repl. 4. Quæ exceptio propositæ causæ inest, nec aliqua replicatione potest elidi Ideoque dicendum Titium legato non esse priuandum.

Idem argumentum tractat, *Decius cons. 243.*

LXVI. Titius duos filios Caium & Seium hæredes instituit, & alterum alteri si sine liberis decederet per fideicommissum substituit; moritur Caius sine liberis, qui uxorẽ suam hæredem instituit. Quaritur si Caius in vita sua detrahit ex fideicommissis legitimam an post mortem ipsius uxor Trebellianicam deducere possit?

D I S P U T A T I O .

Vxor intentionem suam fundat in iure, quo hæres ad restituendam hæreditatem grauatus Trebellianicam deducere potest: de quo *M. I. R. lib. 4. cap. 10. reg. 30.* Cuius except. est, nisi legitimam detraxerit: hoc enim casu Trebellianicam detrhere non potest *d. cap. 10. reg. 1. exception. 4.* Sed replicatur, nisi hæres non purè, sed in diem vel sub conditione grauatus sit hæreditatem restituere: hoc enim casu vtranq; detrahit *d. exc. 4. repl. 1.* Quæ replicat. propositæ causæ inest: Siquidem Caius non

non

non purè, sed post mortem suam hæreditatem fratri restituere est grauiatus. Itaque dicendum hæc replicatione exceptionem Seii elisam esse. Cui cum nulla duplicatio cum effectu obiici possit : pro vxore Caii est respondendum.

Idem argumentum tractat, *Decius decis. 299. n. 3.*

LXVII. Stante statuto quo mulier prohibetur contrahere, an etiam hoc statuto causa dotis contineatur quaestio est. Præsumitur autem quod contineatur, nisi nominatim excipiatur, *M. I. R. lib. 5. cap. ult. in verbo Genus ubi except. 3. causa dotis excipitur.* Quæ tamen exceptio est controuersa, ut apparet, *M. I. R. lib. 2. cap. 16. reg. 10. except. 1. repl. 2. ut etiam controuertitur apud Decium cons. 301.* Ideoque exceptio hæc non videtur admittenda, quemadmodum eã etiam *Decius d. cons. reprobendam* censet.

LXVIII. Mæuius vxoratus rem habuit cū ancilla sua, ex qua illi filius genitus est, quem cum legitimis liberis non haberet heredem instituit. Queritur an hæredis institutio valeat?

D I S P U T A T I O.

Hæredes Mæuii ab intestato intentionem suam fundant in iure, quo filius naturalis

turalis à patre hæres institui non potest: de quo *M.I.R. lib.3.cap.11.reg.33. & libr.4.cap.2. reg.21.except.58.* Cuius exceptio est, nisi legitimi liberi nulli supersint: tunc enim valet institutio. Quæ exceptio propositæ causæ inest. Sed replicatur, nisi filius ex damnato coitu natus sit: tunc enim cessat exceptio ista, *M.I.R. d.cap.11. post.reg.37.except.general.1.* Cuius duplicatio est, nisi coitus non criminaliter, sed ciuilitèr puniatur: Quæ duplicatio propositæ causæ inest: Siquidem stuprum à coniugato cum soluta commissum quamuis ciuilitèr puniatur, tamen non punitur criminaliter, *M.I.R. lib.1.cap.13.crim.7.reg.1.except.1. & communiter approbatur d.except.general.1.repl.1.* Quanquam non est sine controuersia, ut ex d.loco allegatis constat. Sed pro mitioris sententia in pœnalibus præsumptio est. Ideoq; in casu proposito pro filio respondendum censeo.

Idem argumentum tractat, *Decius consil.306.cons.311. & cons.316.n.3.*

LXIX. Titius Seio prædium rusticum pro domo permutauit & tradidit. Verum cum Seius litem de domo à tertio sustineret, conuenit ut Seius Titio singulis annis aliquot modios frument

menti penderet, donèc lis de domo esset finita. Postea incidit bellum, propter quod Seius nullòs fructus ex pradio percepit. Queritur an ad remittendam pensionem eius anni aduersus Titium agere possit?

DISPUTATIO.

Seius intentionem suam fundat in iure, quo colonus seu conductor, qui ob bellum fructus non percepit, ad remittendam pensionem aduersus locatorem agere potest: de quo *M.I.R. lib. 5. cap. 6. reg. 77.* Quod ius etiam ad casum propositum extendendum Seius asserit. Verum excipitur à Titio locationis & permutationis diuersam esse rationem: siquidem permutatione transferatur dominium in accipientem, cum quo etiam periculum transeat; *l. pignus C. de pignoratitia actione.* At in conductione dominium penes locantem remanere. Itaque à separatis non rectè fieri extensionem. Quod verum est. Ideoque contra Seium est respondendum.

Idem argumentum tractat. *Dec. cons. 312.*

L X X. Manius Sempronio sub pœna promisit se curaturum ne Seius aliquid amplius quam acceperat ab eo exigeret. Queritur si Manius omni diligentia adhibita non potuit à Seio impe-

impetrare, ne quid amplius à Sempronio exigeret, an nihilominus ad pœnam promissam conveniri possit?

D I S P U T A T I O.

Sempronius intentionem suam fundat in iure, quo pœna si non præstetur quod sub pœna promissum est, exigi potest: de quo *M. I. R. lib. 5. cap. 4. reg. 20.* Cuius exceptio est, nisi omni diligentia adhibita ab aliq impetrare non potuit, vt faceret vel non faceret. Quæ exceptio est controversa *d. reg. 20. except. 9.* Ideoque non admit-tenda.

Idem argumentum sed in contrarium tractat *Dec. cons. 313.*

LXXI. Caius instituit heredem posthumum masculum si nasceretur, natis autem filiabus, vel si nihil nasceretur, instituit fratrem heredem, natus est posthumus, qui in pupillari aetate decessit. Queritur an frater ad successionem admittatur?

D I S P U T A T I O.

Frater intentionem suam fundat in institutione sibi à testatore facta. Cui obicitur exc. defectus conditionis. Siquidē frater institutus est hæres si filiæ nascerentur, vel si nihil natū esset. At posthu. masculus

natus est, & sic conditio defecit. Replicat actor, si non alia fuisset voluntas testatoris. At voluntas testatoris fuit, vt nato posthumo, qui in pupillari ante decederet, frater esset institutus. De qua voluntate dubitatur, & cum in testamento non sit expressa, nec à fratre probetur contra fratrem est respondendum.

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 314. cum cons. seq.*

LXXII. Titius accepta à Scio pecunia Mauium bannitum, quem bannitum esse ignorabat, occidit. Queritur an à poena homicidij sit excusatus?

D I S P U T A T I O.

Titius intentionem suam fundat in iure seu statuto, quo bannitus impune occidi potest: de quo, *M. I. R. lib. 1. cap. 13. crimine 4. post reg. 9. except. 24.* Cui duæ exceptiones hoc casu videntur obstare, vna nisi pecunia accepta bannitum occiderit: Altera nisi ignorans bannitum esse occiderit. Quarum prima controuertitur *d. except. 24. replic. 4.* Ideoque cum sit controuersa, non est admittenda. Altera reprobat *d. except. 24. repl. 12.* Itaq; Titius à poena homicidij est absolendus.

Idem

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 327.*

LXXIII. *Mauius Seio bona quadam in Emphyteusim concessit ad annos vigintinouem, ut iis elapsis renouaretur emphyteusis: postea mortuo Mauio & Seio heredes illorum ignari illius pacti renouationis, nouem annis ultra viginti nouem annos soluerunt & acceperunt canonem consuetum annuū, nulla renouatione facta. Tandem heredes Mauij in eius hereditate inuenerunt instrumentum concessionis, & cum nulla renouatio anno vigesimo nono facta esset, bona repetierunt. Queritur quid iuris?*

DISPUTATIO.

Actores intentionem suam fundant in pacto renouationis, quod quia obseruatū non sit, bona repetunt. Excipitur à reis se illud pactum ignorasse. Quod quidem in dubio præsumitur. Itaque scientia ab actoribus probanda est. Qua non probata rei sunt absoluendi.

Idem argumentum tractat *Decius consil. 328. cum cons. seq.*

LXXIIII. *Titius in testamento minus solenni haeres institutus hereditatem adit, & legata de suo soluit. Postea haeres ab intestato hereditatem euincit testamento iniusto pronunciato.*

Queritur an Titius legata de suo soluta per conditionem indebiti repetere possit?

D I S P U T A T I O.

Titius intentionem suam fundat in iure, quo indebitum per errorem solutum conditione indebiti repeti possit: de quo *M.I.R. lib. 5. c. 13. reg. 49.* Cuius exceptio est, nisi naturaliter debitum fuit quod solutum est *M.I.C. lib. 25. c. 8. exc. 10.* Quæ exceptio propositæ causæ inest: siquidem legatum in testamento minus solenni relictum naturaliter debetur. Ideoq; per except. retineri potest, quamvis per actionem peti nō possit *M.I.R. li. 4. c. 9. reg. 14. exc. 38. repl. 5.* Huius replic. est, nisi putatius hæres soluerit: hic enim quamvis civiliter debitum ut hæres soluerit, tamen repetit: multo magis naturaliter debitum solutum repetere potest. Cui replicationi quid obstet nō video. Itaq; respondeo Titio conditionem indebiti denegandam non esse.

Idem argumentum tractat, *Dccius consil. 348.*

L X X V. Statute statuto quod extantibus masculis filia cum descendens sit à successione exclusa: moritur Seius nullis relictis filiis, sed relictæ filia, ex qua post mortem Sey nepos Sey

*concipitur & nascitur. Quæritur an hic nepos
auo suo Seio ex statuto succedat ab intestato?*

DISPUTATIO.

Negatiua probatur *M.I.C. lib. 10. c. 2. exc. 15.* vbi nepos post mortem aui conceptus & natus illi succedere ab intestato negatur. Cuius except. videtur, nisi statuto cautum sit, vt extantib. masculis filia cum descendentes non succedat: hoc enim casu à contrario sensu descendentes ex filia vocati censentur quoadcunq; concepti vel nati sint. Verum exc. hæc reprobatur à *Decio cons. 364.* Cui acquiescendum puto.

LXXVI. Seius magnam partem bonorum suorum donat fratris filio, cum ipse liberos non haberet: postea ex concubina nactus est filium naturalem, quem fecit legitimari. Quæritur an propter hunc filium donationem possit reuocare?

DISPUTATIO.

Seius intentionem suam fundat in iure, quo donatio superuenientibus liberis potest reuocari: de quo *M.I.R. lib. 4. c. 11. resg. 10. exc. 23.* Cuius except. est, nisi liberi superuenientes naturales sint, nō legitimi *d. exc. 23. repl. 4.* Cui obstat replicatio hæc, nisi naturales sint legitimi *d. replicat. 4. duplicat. 1.* Quæ replicatio propositæ causæ inest,

nec qua duplicatione possit elidi video. Itaque pro Seio puto respondendum.

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 366.*

LXXVII. Seius filia sua constantia centum dotis nomine legavit, & casu quo filia prae-moreretur voluit filium eius Caium in legatum succedere. Moritur Constantia viuo testatore. Mortuo testatore Caius filius Constantia petit legatum dotis: Queritur quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Caius intentionem suam fundat in legato dotis matri suæ relicto. Excipitur matrem ipsius ante diem legati cedentem mortuam esse. Ideoque legatum expirasse, Cuius ius probatur *M. I. R. lib. 4. cap. 9. reg. 14. except. 47.* Replicatur, nisi alia fuerit expressa voluntas testatoris *d. except. 47. repl. 1.* Quæ replicatio propositæ causæ inest: si quidem testator expresse disposuit, vt præ-moriente filia legatum ad filium eius perueniret. Cui quid obstet non video. Itaque pro Caio respondendum esse censeo.

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 369. & cons. 397.*

LXXVIII. Mauius habens tres filios & duas filias, filios heredes instituit, iisque filias sub-

Substituit, si omnes sine filiis decederent. Mortui sunt duo filij sine prole: tertius autem decessit, relicta filia testatoris nepte. Quæritur an filia testatoris ex substitutione sint admittenda?

DISPUTATIO.

Filiæ testatoris intentionem suam fundant in substitutione filiis facta. Cui obii-
citur exceptio hæc, quod conditio substi-
tutionis defecerit: Siquidem non omnes
filii sine filiis decesserint, sed tertium reli-
quisse filiam testatoris neptem. Quæstio
in hoc consistit an appellatione filiorum
etiam filia contineatur? Affirmatiua pro-
batur, *M. I. R. libr. 5. cap. penult. in verbo Filij
appellatione.* Cui puto adquiescendum, do-
nec probetur testatorem aliud sensisse. Id-
eoque respondeo filias testatoris substitu-
tas per neptem excludi,

Idem argumentum tractat, *Decius con-
sil. 370. & cons. 568.*

*LXXIX. Sempronius filium suum mutum
hæredem instituit in omnibus suis bonis, eique
quandocunque sine filiis decederet substituit so-
rores ipsius filias testatoris. Quæritur utrum
hac substitutio sit exemplaris, in qua hæredis et-
iam bona contineantur, an fideicommissaria, in
qua testatoris tantum bona comprehendantur?*

Hoc casu de facto quid scilicet senserit testator, nō de iure dubitatur. Ideoq; arbitrio iudicis hæc quæstio relinquenda. In dubio tamē fideicommissaria, non exemplaris substitutio præsumitur: cum testator hæredem in suis bonis instituerit, & bonorum hæredis in substitutione nullam fecerit mentionem.

Idem argumentum tractat *Decius cons. 371.*

LXXX. Stante statuto, quo ad successionem defuncti post eius ascendentes, descendentes & fratres vocantur patru & patruorum filij, qui auunculos excludunt. Moritur Titius relicto auunculo, & patru nepote: quaritur an hic nepos auunculum vi statuti à successione Titij excludat?

D I S P U T A T I O.

Auunculus intentionem suam fundat in iure communi, quo proximior gradu remotiorem excludit: de quo *M. I. R. lib. 4 c. 6. reg. 9. exc. gener. 1.* Cui excipiēdo obicitur statutum, quod filium patru quamvis gradu remotiorem auunculo præfert. RePLICATUR quod statuta sint strictè interpretanda, ne ius commune corrigant, *M. I. R. lib. 1. cap. 1. reg. 5. exception. 7.* Cuius duplica-

no est, nisi vnica tantum ratio statuti, de cuius extensione agitur, assignari possit: tunc enim extendi potest, quamuis ius cōmune corrigatur *d. except. 7. repl. 7.* Quæ duplicatio propōitæ causæ inest: quia alia ratio quam fauor adgnationis dicto statuto assignari non potest. Itaque dicendum appellatione filiorum etiam nepotes ad excludendum auunculum contineri, & sic pro nepote contra auunculum est respondendum.

Idem argumentum tractat *Decius con- 372.*

LXXXI. Scius à patre hæres institutus & rogatus si sine liberis masculis decederet hereditatem fratri Titio restituere, filiam elocauit, cui dotis nomine prædium ex hereditate dedit. Queritur Scio sine liberis masculis defuncto an Titius frater in persecutione fideicommissi dictum prædium persequi possit?

DISPUTATIO.

Titius intentionem suam fundat in iure, quo hæres bona fideicommissi alienare prohibetur: de quò, *M. I. R. li. 4 c. 9. reg. 8.* Cuius exc. est, nisi dotis nomine alienatio sit facta *d. reg. 8. except. 1.* Sed obiicitur replicatio hæc, nisi fideicōmissum dotis causam præ-

præcesserit. Quæ tamen replicatio controvertitur *d. except. 1. repl. 1.* Ideoque cum sit controuersa non est admittenda, sed pro exceptione proposita respondendum.

Idem argumentum tractat *Decius consil. 376.*

LXXXII. Titius filium suum heredem instituit, eique si decederet sine prole legitima vel cum prole non perueniente ad ætatem faciendi testamentum substituit Caium. Filius hæres institutus decessit relicto filio pubere, sed furioso.

Quæstio. Caius ex substitutione admittendus est.

D I S P U T A T I O.

Caius intentionem suam fundat in substitutione sibi à Titio facta. Cui obiicitur exceptio defectus conditionis. Siquidẽ filius hæres institutus decessit filio pubere relicto, in qua ætate testamenti faciendi ius est. Cuius replicatio est, nisi filius pubes relictus sit furiosus, qui testamentum facere non potest: nam ad hunc quoque casum conditio substitutionis videtur extendenda, idque ex verisimili coniectura voluntatis testatoris, *M. I. R. lib. 4. cap. 2. reg. 21. except. 79. repl. 1.* Ideoq; dicendum Caium ex substitutione admittendũ esse.

Idem

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 397. in princ.*

LXXXIII. Titius filium suum Seium heredem instituit, eique si sine liberis decederet substituit Caium. Seius decessit adoptivus liberis relictis. Queritur an per hos substitutus excludatur?

D I S P U T A T I O.

Caius intentionem suam fundat in substitutione sibi à Titio facta. Cui opponitur exceptio defectus conditionis: Quoniam Seius liberis relictis decesserit. Replacatur si liberi naturales, & legitimi, non adoptivi essent. Sed sunt adoptivi: qui substitutum non excludunt *M.I.R. lib. 4. cap. 10. reg. 50. exc. 2.* Cui replicationi quid obstet non video. Itaque pro Caio respondendum esse censeo.

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 399.*

LXXXIIII. Mauius Seio sub pœna cavet de eo non offendendo: queritur an pœna commissisa sit solo insultu?

D I S P U T A T I O.

Seius intentionem suam fundat in stipulatione pœnali, qua cautum est de se nō offendendo: de qua *M.I.R. lib. 3. c. ult. reg. 73.*

Nega-

Negatur à reo facta offensio, probatur insultus: per quem offensio facta nō probatur. Itaque dicendum est reum esse absol- uendum.

Idem argumentum tractat, *Decius cons.* 406.

LXXXV. Titius filia sua Berta in dotem dedit mille aureos hoc pacto ut si decederet sine liberis dos ad patrem reuenteretur. Moritur filia relicto filio, qui intra tres menses post eam moritur. Queritur an Titius dotem repetere possit?

D I S P U T A T I O.

Titius intentionem suam fundat in pacto dotali, quo dotem sibi, restitui pactus est, Cui obiicitur exceptio defectus conditionis, quæ propositæ causæ int. st. siquidem filia aëtrici relicto filio decessit. Replicando dicitur, sed illum statim obiisse. Quæ replicatio reprobatur, *M. I. R. lib. 4. cap. 10. reg. 48. except. 1. & reg. 50. except. 6.* Itaq; in casu proposito cōtra Titium est respondendū.

Idem argumentum tractat *Decius cons.* 414.

LXXXVI. Titius factō testamento instituit Alexandrum nepotem ex filia, eiq; sine liberis decedenti substituit Iulium & Nestorem fratres ipsius Alexandri; & ipsis quādocunq; decedenti-

dentibus substituit vulgariter & per fideicommissum locum pium N. Moritur superstite Alexandro Nestor relicto filio, item moritur Iulius sine liberis. Tandem moritur Alexander heres institutus sine liberis. Queritur an locus pius ex substitutione admittatur?

DISPUTATIO.

Locus pius intentionem suam fundat in substitutione à Tit. sibi facta, de qua constat. Constat item Iulium & Nestorē quib. substitutus est non adita hæreditate decessisse, & sic conditionem vulgaris substitutionis extitisse. Postremo Alexandrum heredem institutum sine liberis esse definitum. Sed obiicitur ex Nestore filium superesse, qui locum pium excludat. Quæ exceptio approbatur *M.I.C.li.9.c.11.exce.146.* & *M.I.R.lib.4.c.2.reg.21.exc.86.* vbi cauetur si per substitutionem à parente grauatus postea nactus sit liberos, substitutionem euanescere. Quæ exceptio propositæ causæ inest: siquidem Nestor per substitutionem grauatus testatoris ex filia nepos fuit. Cui except. quid obftet non video. Itaque pro filio Nestoris contra substitutum respondendum esse censeo.

Idem

Idem argumentum sed in contrarium tractat, *Decius conf. 416.*

LXXXVII. Moritur Titius relicta sorore Berta hærede ab intestato, qua audita morte fratris adiuit eius hereditatem. Antequam autem occuparet bona hereditaria Sempronius propria auctoritate possessionem ingreditur. Agit aduersus eum Berta interdicto, quorum bonorum. Queritur quid iuris?

D I S P U T A T I O .

Berta intentionem suam fundat in iure, quo hæredi aduersus possessorem bonorum hæreditariorum succurritur ad possessionem tradendam: de quo *M.I.R. li. 4. cap. 8. reg. 54. cum seq.* Cuius exceptio est, nisi legitimus contradictor existat, *M.I.R. d. cap. 8. reg. 59. except. 1.* Qua utitur Sempronius in causa proposita: Quia dicit bona, quæ possidet, feudalia esse, in quibus foeminae non succedunt. Replicatur primum quidem quod hæc causa altiorem indaginem requirat: *d. exc. 1. repl. 1.* Deinde quod Sempronii possessio sit vitiosa, cum propria auctoritate eam occupauerit: idcoq; pro nulla possessione eam habendam *d. except. 1. replicat. 4.* quibus replicationibus
quid

quid obftet non video. Itaque pro Bertra censeo esse respondendum.

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 424. & consil. 467.*

LXXXVIII. Scius testamento facto instituit heredes Titium Mauium & Sempronium fratris sui filios, eosque inuicem substituit. Moritur ex iis Mauius relicto filio Caio. Queritur an hic Caius substitutos excludat?

DISPUTATIO.

Caius intentionem suam fundat in iure, quo substitutio euanescit si grauato nati sint liberi: de quo *M. I. R. lib. 4. c. 2. reg. 21. exc. 86.* Cuius exceptio est, nisi grauatus nõ sit ex liberis testatoris *d. exc. 86. repl. 1.* Quæ exceptio propõsitæ causæ inest: siquidem Mæuius fuit fratris testatoris filius. Cui exceptioni quid obftet non video. Itaq; contra Caium respondendum esse censeo.

Idem argumentum tractat, *Decius. consil. 435. vers. Et primo de septima.*

LXXXIX. Stante statuto quod pro homicidio bona homicide sint publicanda: queritur an etiam iura & actiones homicide publicari debeant? Quo casu præsumptio est pro affirmatiua M. I. R. lib. 1. c. 11. reg. 35. A qua regula excipiuntur iura & actiones d. reg. 35.

Dd exa

except. 6. Ex quo tamen loco exceptio hæc apparet controuersa. Ideo non videtur admittenda.

Idem argumentum sed in contrarium tractat, *Decius cons. 442.*

X C. Cum Titius castrum Seij per vim occupasset, Seius ea de re iudicem adit cum protestatione tamen quod via facti castrum velit recuperare, & sic ad recuperandum castrum homines cogit. Queritur cum viam iuris elegerit, an ad viam facti redire possit?

D I S P U T A T I O.

Titius intentionem suam fundat in iure, quo lite pendente nihil est innouandum: de quo *M. I. R. lib. 2. ca. 1. q. 12. reg. 2.* Excipit Seius nisi per protestationem sibi reseruasset viam facti, *M. I. R. lib. 5. cap. 11. reg. 20.* Replicatur à Titio, nisi protestatio facta contraria sit, *d. reg. 20. except. 7.* De minore propositione dubitatur, an hoc casu protestatio contraria sit facta? Et non videtur per ea, quæ tradit *Decius cons. 460. n. 12. in fine. cum seq.*

Idem argumentum tractat, *Dec. d. consil. 460.*

X C I. Stante statuto quo mater per adigna-

*Vos à successione filij excluditur: moritur Ma-
uius pupillus relicta matre, & fratre, qui here-
ditatem defuncti petit. Queritur quid iuris?*

DISPUTATIO.

Frater intentionem suam fundat in sta-
tuto matrem excludente. Excipit mater
quod statutum de filio adulto, non de pu-
pillo sit intelligendum. Quæ exceptio est
controuersa, ideoque non admittenda *M.
I.R. lib. 4. cap. 6. reg. 6. exc. 6. repl. 1.* Sed pro fra-
tre respondendum.

Idem argumentum sed in contrarium
tractat, *Decius cons. 466.*

*X C I I. Titius testamento factò instituit
duos filios heredes, & in defectum illorum filio-
rum masculorum, & eorum filiorum substituit
duas filias constantiam & Lucretiam. Duo filij
deceserunt sine filiis masculis, relictis tamen fi-
liabus. Decessit quoque Lucretia relictis filiis.
Queritur, an constantia excludat filias fratrum,
& sororis defunctæ filios?*

DISPUTATIO.

Constantia intentionē suā fundat in sub-
stitutione patris, quod sola supersit ex sub-
stitutis. Excipitur conditionē substitutio-
nis defecisse: quia cōstantia sit substituta in

defectum filiorum masculorum, & eorū filiorum. Filii autem appellatione etiam filias contineri *M. I. R. lib. 5. c. penult. in verbis Filij appellat.* Sed fratres defunctos filias post se reliquisse. Cui obiicitur replicatio hæc, nisi testator antea filiorum masculorum mentionem fecisset: hoc enim casu etiam postea nominando filios, tantum de filiis masculis videtur sensisse *d. verbo filii appellati exc. 1.* Cui accedit quod nō præsumatur testatorem neptes filiar. suis præferre voluisse. Itaque ob hanc præsumptam testatoris voluntatem dicendum est exceptionem non esse admittendam, sed pro Constantia respondendum.

Idem argumentum tractat, *Decius conf. 480.*

XCIII. Cum Titius haberet ius pascendi in prædio Seij prædium illud à Seio emit, & post aliquod tempus Sempronio rursus vèdidit, nulla mentione de iure pascendi in venditione facta. Post venditionem & traditionem vult uti iure pascendi ut antea, denegatur ei hoc ab emptore Sempronio. Queritur, quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Titius intentionem suam fundat in iure pascendi quod in vendito prædio præ-tendit.

tendit. Excipit reus Sempronius, quod ius pascendi sit extinctum, cum prædium seruiens & id, cui seruitus debetur eiusdem esse cœperit, *M. I. C. lib. 8. c. 3. caus. 9.* Cui exceptioni quid obstat non video. Itaq; contra Titium respondendum esse censeo.

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 483.*

XCIII. Stante statuto, quo extantibus masculis filia à successione excluduntur: moritur Titius relicto filio & filia, filius moritur. Quaeritur an filia sit ad hæreditatē patris admittēda?

DISPUTATIO.

Hæres filii defuncti intentionem suam fundat in dicto statuto, de quo *M. I. R. lib. 4. c. 6. reg. 2. exc. 4. dist. 1.* Cui obiicitur exceptio hæc nisi filius defuncti non supersit: tunc enim admittitur filia *d. dist. 1. repl. 4.* Quæ exceptio propositæ causæ inest. Sed replicando eliditur, nisi filia per fratrem semel sit exclusa: hoc enim casu postea non admittitur quamuis frater deficiat *d. repl. 4. dupl. 5.* Quæ replicatio etiam propositæ causæ inest: cum frater ante mortem patris hæreditatem adierit, & sic sororem excluderet. Cui repl. quid obstat non video. Itaq; contra filiam respondendum esse censeo.

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 506.*

XCV. *Seius habeas tres filios Caium, Titum & Mauium eos heredes instituit, eosque inuicem substituit, si aliquis ex iis sine filiis masculis decesserit: moritur Caius & Titius relictis filiis masculis, moritur ultimo Mauius nullis filiis relictis. sed duabus filiabus, quas heredes instituit. Queritur an institutio in bonis paternis filiabus facta valeat?*

D I S P U T A T I O.

Filii fratrum premortuorum agunt ex substitutione patribus suis facta, si Mæuius sine filiis masculis decesserit. Quæ conditio sit impleta. Excipitur, nisi substituti ante delatam sibi hæreditatem decesserint, *M. I. R. lib. 4. cap. 2. reg. 21. except. 90.* Quæ exceptio propositæ causæ inest, nec filii in conditione positi censentur vocati *d. lib. 4. cap. 5. reg. 5.* Cui exceptioni quid obstat non video. Itaque contra actores censeo esse respondendum.

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 511.*

XCVI. *Paula hæres instituit Petrum & Ioannem nepotes ex fratre, eosque inuicem substituit*

stituit sub hac conditione, si alteruter sine filiis decederet. Moritur Ioannes relicta filia. Quæritur an hac substitutum excludat?

DISPUTATIO.

Petrus substitutus intentionem suam fundat in substitutione sibi facta, si frater suus sine filiis decesserit. Quæ cōditio extitit cū filios nullos reliquerit. Cuius exceptio est, nisi filia esset relicta: nam conditio filiorum etiam filias comprehendit, *M. L. R. lib. 4. cap. 10. reg. 50. except. 4.* Replicatur nisi alia fuerit testatoris voluntas. Sed hoc casu alia fuit testatoris voluntas: de quo dubitatur. Ideoque nisi Petrus hanc contrariam voluntatem probauerit, contra eum erit respondendum.

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 514.*

XCVII. Stante statuto, quo is, qui uxorem occidit, eiusque descendentes priuantur successione interfecta: Caius ab uxore sua impetrauit ut filio communi bona sua donaret, postea eam interfecit. Quæritur an donatio filio facta valeat?

DISPUTATIO.

Filius intentionē suā fundat in donatione sibi à matre facta. Cui obiicitur exc. sta-

quo interficiens uxorem, eiusque descendentes interfectæ successione priuantur, Quæstio est an statutum pœnale de successione disponens ad donationem sit extendendum? Quamuis autem in pœnalibus & correctoriis non extendatur *M.I.R. lib.1. cap.1. reg.5. except.6. & 7.* tamen extensio fieri potest de stricta significatione vocabuli ad latam *d. except.7. replic.1.* Quæ exceptio propositæ causæ inest: siquidem donatio etiam successionis appellatione lata continetur. Itaque dicendum donationem filio factam non valere.

Idem argumentum tractat, *Decius consil.525.*

XCVIII. Seius instituit heredem Mevium, qui habet uxorem & concubinam. Quaritur an sorori Seij Bertæ inofficiosi querela aduersus testamentum fratris post quinquennium competat?

D I S P U T A T I O.

Duplex quæstio est. Vna an Bertæ actio competat? Altera an post quinquennium competat? Quod ad primam quæstionem attinet manifesti iuris est, quod fratri vel sorori inofficiosi querela non competat contra testamentum fratris, *M.I.R. lib.4.*

cap.

cap. 8. reg. 27. Cuius exceptio est, nisi turpis persona hæres sit instituta *dict. reg. 27. exceptio. 1.* Quæ except. propositæ causæ inest: siquidem qui vxorem & concubinam simul habet, infamis & sic turpis persona est *M. I. R. lib. 1. cap. 11. reg. 42.* Cui except. quid obstet non video. Itaq; respondeo Bertæ actionem denegandam non esse.

Quod ad alteram quæstionem attinet iuris est indubitati post quinquennium inofficiosi querelam non competere *M. I. R. d. c. 8. reg. 31.* Sed huius exceptio est, quod aduersus ignorantem non currat præscriptio *M. I. R. lib. 5. c. 2. reg. 4. excep. 13.* In dubio autem ignorantia præsumitur, nisi probeatur scientia, *M. I. R. lib. 2. c. 11. in verbo ignorantia.* Ideoq; dicendū quinquennii præscript. sorori nō obesse, nisi sciētia eius probeatur.

Idem argumentum tractat, *Decius consil. 530.*

XCIX. Mauius genero suo Titio promissit certam quantitatem frumenti annuam prestare donec dos fuerit soluta. Mortuo post septenniū Titio hæredes eius petunt residuum ex dicta quantitate promissa queritur quid iuris?

DISPUTATIO.

Actores intentionem suam fundatam

habent in iure, quo actio competens defuncto etiam eius hæredibus competit: de quo *M.I.R. lib. 5. cap. 1. reg. 21.* Excipit reus quod quantitas promissa oneribus matrimonii deputata sit. Ideoque hæredibus eius actio non competat. Quæ exceptio nulla lege reperitur adprobata. Ideoque non est admittenda.

Idem argumentum tractat, *Decius cons. 571.*

C. Iacobus habens tres filias reliquit eis iure institutionis pro dotibus, & posthumos masculos nascituros hæredes vniuersales instituit, & in defectum filiorum Augustinum fratrem suum, qui viuo testatore decessit relictis filiis masculis. Deinde testator moritur sine filiis, nisi dictis filiabus tantum relictis. Filij Augustini petunt hæreditatem testatoris. Quæritur quid iuris?

D I S P U T A T I O.

Actores intentionem suam fundant in iure, quo hæredibus hæredis instituti vel substituti eadem debetur hæreditas, quæ ipsi defuncto debebatur: de quo *M.I.R. lib. 4. cap. 5. reg. 1. in prin.* Cuius exceptio est, nisi hæres institutus vel substitutus ante aditam hæreditatem decesserit: tunc enim hæreditatem ad suos hæredes non transmittit,

mittit *d. reg. 1. except. 1.* Quæ exceptio propositæ causæ inest. Siquidem Augustinus pater actorum viuo testatore decessit. Replicatur ab actoribus, nisi alia fuerit mens testatoris *d. except. 1. repl. 9.* Minor huius replicationis propositio in dubium vocatur: cuius probatio ipsis actoribus, tanquam suæ replicationis incumbit. Ad probandum autem vtuntur hoc argumēto quod actor non nisi filios masculos hæredes instituerit, & in eorum defectum fratrem Augustinum substituerit filiabus exclusis, & sic voluit bona sua in familia manere. Quod an sufficiat ego dubito. Itaque contra actores respondendum censeo.

Idem argumentum sed in contrarium tractat *Decius conf. 574.* vbi flagellatur à suo interprete Molinæo.

Quartæ Centuriæ Responsorum iuris.

F I N I S.

INDEX

INDEX RESPONSO- RVM IURIS, IN QVOLI- TERA C. CENTVRIAM ET litera R. Responsum denotat.

A

Acceptilatio C. 3. R. 69.

Actio C. 4. R. 99.

Actio Pauliana C. 4. R. 52.

*Ad supplementum Legitima
actio* C. 1. R. 14. C. 3. R. 14.

Alienatio rei litigiosa C. 3. R.
36.

Appellatio C. 4. R. 12.

Attentata C. 4. R. 22.

C

Causa dati non secuta actio
C. 2. R. 90.

*Cedendarum actionum ex-
ceptio* C. 4. R. 23.

Civitas C. 3. R. 95.

Clausula codicillaris C. 4. R.
46.

Commodati actio C. 2. R. 72.

Communis diuidendo C. 2. R.
73.

Condictio indebiti C. 1. R. 44.
C. 3. R. 84. C. 4. R. 20. 74.

Conditio C. 2. R. 33.

Si haeres erit C. 1. R. 80.

Si haeres non erit C. 1. R. 87.

Si sine haerede decesserit C.
2. R. 95.

*Si sine consilio patris nu-
pserit* C. 2. R. 89.

Si sine filiis decesserit C. 4.
R. 6. 25. 76. 78. 92. 69.

Si sine liberis decesserit C.

2. R. 60. C. 3. R. 18. 38. C.
4. R. 51. 58. 83. 85.

Conditio turpis C. 2. R. 9.

Conducti actio C. 2. R. 11. 12.
C. 3. R. 94.

Consuetudo non extendenda
C. 2. R. 65.

Quomodo probanda C. 2.
R. 26.

Contumax C. 4. R. 50.

D

Damni infecti actio C. 1. R.
57. 72.

Damni iniuria actio C. 1. R.
59. C. 2. R. 4. 7. 10. C. 3. R.
61.

Depositum actio C. 2. R. 13.

Doli mali actio C. 2. R. 86.

Dominium C. 1. R. 73.

Donatio C. 2. R. 41. 90. C. 3. R.
12. 23. 59. 62. 70. 79. 89. C.
4. R. 39. 42. 63. 64. 76. 77.

Inter virum & uxorem
C. 4. R. 45.

Mortis causa donatio C. 3.
R. 8. C. 4. R. 48.

Dotis vindicatio C. 1. R. 100.
C. 2. R. 52. 55. C. 3. R. 41. 77.
C. 4. R. 41.

E

Electio cuius sit C. 3. R. 56.

Emphyteusis C. 1. R. 68. C. 3.
R. 22. 55. 82. 87. C. 4. R. 28.

I N D E X.

29. 73.
Empti actio C. 1. R. 47. 48. C. 2. R. 100. C. 3. R. 21. C. 4. R. 17. 21. 31.
Executio C. 3. R. 71.
F
Fendi successio C. 1. R. 8. 17. 21. 30. 33. 56. C. 2. R. 21. 23. 31. 71. 83. C. 4. R. 34.
Renovatio fendi C. 1. R. 16. 31. 33. 40. 66. C. 2. R. 27. 46. 53. 83. 85. 92.
Fideicommissum vide 1. Legatum.
Fideiussor C. 2. R. 28. 45. 79. C. 4. R. 24.
Fisci causa C. 1. R. 1. 58. C. 3. R. 1.
Foriprescriptio C. 1. R. 6.
Fructus C. 3. R. 97.
G
Genus C. 4. R. 67.
H
Hareditas delata C. 1. R. 86.
Hareditatis dividenda C. 1. R. 41.
Hareditas repudiata C. 3. R. 76. C. 4. R. 55.
Hareditatis transmissio C. 1. R. 4. C. 2. R. 59. C. 3. R. 19. 75. 99. C. 4. R. 49. 100.
Homicidium C. 2. R. 1. C. 3. R. 85. C. 4. R. 4. 72.
Hypothecaria actio C. 3. R. 31. 82. 98. C. 4. R. 43.
I
Immunitas C. 1. R. 38. C. 4. R. 31.
Incestus C. 3. R. 49.
Iniuriarum actio C. 3. R. 67.
In litem iurando C. 2. R. 31.
Institoria actio C. 1. R. 45.
Instrumentum C. 1. R. 18. C. 2. R. 76. 77.
Iudicatum solui C. 3. R. 34.
Iuris iurandi exceptio C. 3. R. 17.
Ius ad crescendi C. 1. R. 7. C. 2. R. 58. 63. C. 3. R. 40. 93. C. 4. R. 35.
Ius representandi C. 4. R. 1. 37.
Ius retentionis C. 4. R. 41.
L
Legatum C. 1. R. 23. 50. 52. 55. 69. 77. 79. 88. 89. 91. C. 2. R. 22. 34. 36. 38. 41. 48. 67. 91. 93. C. 3. R. 4. 15. 44. 48. 65. 74. C. 4. R. 16. 50. 59. 60. 65. 66. 77. 81.
Annuum legatum C. 1. R. 78.
Familia legatum C. 3. R. 28. C. 4. R. 8. 32.
Liberationis legatum C. 4. R. 30.
L. Diffamatoria actio C. 1. R. 11. 94.
Legitima C. 3. R. 78.
Locati actio C. 3. R. 7.
Longissimi temporis prescriptio C. 1. R. 7. C. 2. R. 66. C. 3. R. 81.
M
Magistratus C. 1. R. 36.
Mandati actio directa C. 2. R. 2. *contraria* C. 1. R. 46. C. 2. R. 24.
Matri-

I N D E X

- Matrimonialis C.1.R.3. 22. C.2.R.35.C.3.R.37.*
- Missa in possessionem C.1.R. 26.C.4.R.19.*
- Modus ut uxorem daret C. 2.R.97.*
- N**
- Naturales liberi C. 4. R.50. 68.*
- Non numerata pecunia exceptio C.2.R.32.*
- Nullitatis causa C.1.R.12.C. 2.R.50.*
- P**
- Pañum C.4.R.33.*
- Petitio hereditatis C.1.R.85. 90.91.C.2.R.40.*
- Pignoratitia actio C.2.R.18. C.3.R.45.86.*
- Possessio & possessorium iudicium C.1.R.67.C.3.R.46. 81.86.*
- Prescriptio minoris moneta C.1.R.27.*
- Prioritas creditorum C. 1. R. 94.95.*
- Probatio utri incumbat C.1. R.9.10.82.83.84.*
- Fidci habita C.1.R.15.*
- Pro socio actio C.2. R.5. 62. 68.*
- Publicatio bonorum C.4. R. 89.*
- Purgatio canonica C.1.R.99.*
- Q**
- Querela inofficiosi testamēti C.4.R.98.*
- Quanto minoris actio C. 2. R.81.*
- Quorum bonorum C. 4. R. 98.*
- R**
- Rationes reddere C.4. R.3.*
- Ratihabitio C.3.R.35.*
- Redhibitoria actio C.1. R.75. C.2. R.88.*
- Reditus annuus C.4.R.69.*
- Rei vindicatio C.2.R.17.37. C.3.R.25.39.97.*
- Res indicata C.1.R.11.43.91. 92 C.2.R.49.C.3.R.33.*
- Rescriptum principis C.3. R. 32.*
- Restitutio in integrum C.2. R.25.29.69.82. C.3.R.13.*
- Retractus consensualis. C. 1.R.35.C.3.R.83.*
- S**
- Sententia incerta C.1.R.5.*
- Servitus C.1.R.97.C.2.R.80. C.3.R.24.*
- Altius non tollendi C.4. R.36.*
- Itineris C.1.R.96. C.2.R. 44.C.3.R.24.*
- Negativa C.1.R.29.*
- Pascendi C.3. R.42. C.4. R.93.*
- Venandi C.2.R.54.*
- Simulatio non presumitur C. 2.R.98.*
- Societas C.4.R.14.*
- Solutio C.1. R.42.C.2. R.14. C.3.R.53.77.80.C.4.R.5.*
- Stipulatio C.2.R.9.79.*
- Penalis C.4. R.2. 70.84.*
- Statutum feminas extanti- bus masculis excludens C. 2.R.*

I N D E X

- 2.R.56. C.3. R.27. 29. 30.*
91.96. C.4. R.13.53.75 91.
94.
Substitutio C.1. R.54.55.76.
90.C.3. R.57.66. 68. C.4.
R.18. 38. 40.51. 56. 62. 71.
78. 79. 82. 86. 88. 92. 95.
vide item infra Successio
ex testamento.
Successio ex t. testamento C.3.
R.5. 6.8.9.10.16.20.47.50.
51.52.54.63. C.4. R.57.61.
vide item supra Substitutio.
Abintestato C.1. R.2.24.
25.37. 49.60 61.62. 63.64.
65.81. C.2. R. 6. 16. 20.39.
43.57.59. 64. 74. 84. 94.
96. 99. C.3. R. 19. 26. 64.
72.73.93.99. C.4. R.75.80.
vide item supra Statutu.
Ex pacto C.1. R.32.70. C.
3 R. 2.
- T**
- Testamentum** C.1. R.20. 51.
53.87. 98. C.2. R. 41. 42.
47.75.92. C.3. R.3. 43.50.
58. C.4. R.27.47.54. vide
- item supra Successio ex te-*
stamento. item Substitu-
tio.
Testis unicus C.1. R.19.
Tortura C.4. R.44.
Transactio C.1. R.34. C.3. R.
90.
Transmissio hereditatis vi-
de supra hereditas.
Trebellianica C.4. R.66.
Tutela eiusque actio C.2. R.
70. C.4. R.7.
- V**
- Venditi actio** C. 2. R.3.8.19.
78.87. C.4. R.31.
Venditio bonorum ex secun-
do decreto C.1. R.28.
Vis publica & privata C.4.
R.90.
Vnde vis interdictum C.1. R.
67. C.3. R.100.
Vsura C.2. R.19.
Vsusufructus C.2. R.15.30. 61.
94. C.3. R.11.60.
Vsusufructus quem pater in
bonis filij habet C.4. R.15.
Vti possidetis C.1. R.13.71.93.

Indicis Finis.

